DE
LEIBNITII PHILOSOPHIA
DISSERTATIO.

AUCTORE

IULIO SCHALLER,

PHILOSOPHIAE DOCTORE.

HALAE

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

1833.

AVO

OPTIMO DILECTISSIMO
SUMME REVERENDO

I. N. FRITZE

SEN. MINIST. RER. SACR. MAGDEBURG.
AD AED. ST. ULRIC. PASTORI PRIMARIO
EQ. AQ. RUBR. TERT. ORD.

AD SOLENNIA SEMISECULARIA
DIE XXI. OCTBR.
FAUSTE CELEBRANDA

HIS STUDIORUM PRIMITIIS
PIE CONGRATULATUR

IULIUS SCHALLER.

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE PHILOSOPHIA SPINOZAE ET TRANSITUS IN PHILOSOPHIAM LEIBNITII.

Priusquam ad explicandam Leibnitii philosophiam accedamus: et perspicuitatis causa et quod diversa philosophiae systemata ipsa tam intime cohaerent, ut unum ex altero evolvatur et efflorescat, necesse videtur, distincte ante oculos ponamus, quem ad finem philosophia ante Leibnitium pervenerit, praecipue autem, quae summa fuerit philosophiae Spinozae. —

Cartesius recte quidem in fundamento philosophiae suae: Cogito ergo sum, problema totius philosophiae, scilicet quae sit identitas rei extensae et rei cogitantis, proposuit, haec autem identitas immediate tantum affirmata erat, non intellecta et demonstrata; quam ob rem Cartesius in fine speculationis suae sibi ipse contradicit, dum et cogitationem et extensionem, quippe quae sine cogitatione clare et distincte percipi possit, substantias esse constituit, hasque duas substantias per ideam vel substantiam absolutam inter se cohaerere affirmavit. Hac vero sententia, quae, adhibita ad explicandam mentis cum corpore unionem, ad occasionalismum q. d. Cartesianos perduxit, Cartesium secum pugnare in aperto est, quod quamquam substantiam nulla alia re indigere perhibuerat, tamen cogitationem et extensionem substantias absoluta substantia indigere proponit.

Quam contradictionem dissolvit Spinoza per sententiam, quae pro principio philosophiae eius habenda est: Omnis determinatio est negatio [1]). Ita enim ex-

1) Epist. 50.

tensio et cogitatio ut certae et determinatae realitates sunt negationes, quarum veritas, cum per se spectatae omni veritate careant, in unione earum consistit. Extensio igitur et cogitatio ex Spinozae sententia non substantiae sunt, sed attributa unius substantiae absolutae, quae in se est et per se concipitur, id est, cuius conceptus non indiget alterius conceptu, a quo formari debeat. Quidquid igitur est, in Deo est et nil sine Deo esse et concipi potest. Per attributum vero Spinoza id intelligit, quod intellectus de substantia percipit tanquam eiusdem essentiam constituens. At hoc modo attributa, quamvis aeternam et infinitam substantiae essentiam exprimant, non a substantia ipsa, sed ab intellectu constituuntur, qui substantiae alienus est et extra eam, quin est modus attributi, quod ipse antea posuit. Deinde attributorum infinitas et infinita eorum multitudo affirmatur, sed non e substantia deducitur, imo ex infinita illa attributorum multitudine sine necessaria deductione, sed modo empirico duo attributa, extensio et cogitatio, depromuntur; nec minus modi attributorum, quies et motus, intellectus et voluntas, empirice tantum constituuntur.

Quae Spinozae philosophia eo potissimum vitio laborat, quod substantia non habet reflexionem in se. Id, quod iam ex principio derivandum est, quod una tantum ex parte verum dici potest. Quoad enim ex principio finitum negatio et infinitum affirmatio esse contenditur, verum est; quoad autem finiti negatio extra infinitum esse ponitur, Spinoza veritatem non assequitur. In absoluta substantia ipsa non solum absolutam affirmationem, sed etiam absolutam negativitatem vel negationis negationem inesse demonstrandum erat — hoc demum modo substantia et vere creans esset, cum per negationem in se ex sua abstracta identitate exiret, et vere spiritus, cum per negationem negationis in suam absolutam subiectivi-

tatem rediret. Substantia igitur in Spinozae philosophia non vere est subiectum, et ipse de personalitate Dei, quae negativa in se reflexio est, nil se capere posse asserit [2]).

Quemadmodum vero substantia absoluta ipsa neque spiritus est, neque eam ob causam in necessitate sua vere voluntatem et libertatem servat; ita singulis quoque individuis, quorum natura in philosophia Spinozae nequaquam satis perspecta est, libertas et substantialitas in abstracta substantiae necessitate adimitur. Nam Deus tantum, qui ipse spiritus liber est, mundum creatum liberum ex se emittere potest. Quam ob rem Spinoza libertatem hominis in cognoscenda tantum et agnoscenda necessitate ponit, a parte vero voluntatis se ipsam determinantis libertatem humanam non perspexit.

CAPUT II.

DE PHILOSOPHIA LEIBNITII.

Hunc Spinozae philosophiae defectum, quod scilicet substantia non habet reflexionem in se, quare nec substantia ipsa vere subiectum et spiritus est, nec singulare individuum libertatem suam retinet — Leibnitius emendare studuit ita, ut contenderet, rem extensam et cogitantem ut attributa per se non esse non — entia, sed nil existere nisi substantias, quae in se habeant reflexum negativum; extensionem vero et cogitationem neque diversas esse substantias, ut Cartesius voluerat, neque diversa attributa, ut Spinozae fuerat sententia, sed gradu tantum perceptionis differre; omnem igitur existentiam esse perceptionem, neque cogitationem aliud esse, nisi maiorem gradum perceptionis.

Iam vero per totam Leibnitii philosophiam gravis quaedam contradictio apparet speculationis et re-

2) Cogit. metaphys. p. II. Cap: VIII.

flexionis. Etsi fundamenta totius eius philosophiae vere speculativa censeri debent, ipse tamen multis locis haec speculativa fundamenta quasi neglecta non amplius ad quaestionem aliquam solvendam adhibet, sed rem externo reflexionis modo perlustrat.

A. *De methodo.*

1. De principio materiali.

Quamquam Leibnitius ratiocinia nostra duobus magnis principiis superstructa esse contendit [3]), quorum unum est principium contradictionis, alterum principium rationis sufficientis, et quamquam saepissime de horum principiorum gravitate sermonem facit, tamen haec formalia principia nullo modo fundamenta Leibnitii philosophiae putanda sunt. Fundamentum Leibnitianae philosophiae in universum est principium individuationis vel reflexionis in se, quod quale sit, in sequenti explicatione monadologiae clarius apparebit. In universum autem secundum hoc principium substantia et quidquid vere existit, reflexum habet in se negativum, ita ut substantiae nil insit passivitatis, sed mutationes et determinationes sint manifestationes substantiae ipsius; substantia enim, quamquam finita, a mundo non determinatur et afficitur, sed in se ipsa mundi totalitatem continet. Hoc principio individuationis et unionis, quod quidem non per totam philosophiam excultum et perlustratum esse in sequentibus elucebit, Leibnitius ductus id praecipue agit, ut quae aliis contraria viderentur, coniungeret; ita rationem et fidem, sententias Lutheranorum et Catholicorum; ita saepius per suam philosophiam sententias diversas multorum philosophorum et se explicasse et conciliasse gloriatur [4]): Platonem et Democritum, Aristotelem et Cartesium,

---

3) Leibnitii opera omnia ed. Dutens Tom. I. p. 1. pg. 24.
4) Oeuvres de Leibnitz par Raspe pg. 27.

Scholasticos et recentiores philosophos; nunc demum in aperto esse, quae sit Platonis sententia de materia, quid Aristoteles voluerit, animam entelechiam nominans, quid Democritus, atomos semina rerum affirmans; quo iure Stoici in mundi necessitate libertatem hominis defenderint, Sceptici sensuum veritati contradixerint, quomodo animalia et ex Cartesii sententia automata, neque minus ex vulgari sententia anima praedita sint — quin haec unionis sententia ita totum eius animum ceperat, ut simile quid quam Raymundus Lullus, Giordano Bruno et Ploucquet diligenter investigaret, linguam scilicet invenire characteristicam universalem, quae simul esset ars inveniendi et iudicandi [5]. Quod quamquam forsitan in rebus corporeis et formalibus statui potest, quae nullam habent historiam, tamen quod attinet ad notiones et sententias philosophicas, quae cursu speculationis intimam suam naturam demutant, ullo modo fieri nequit.

2. De principio formali.

Etsi Leibnitius nonnullis locis mathematicam methodum optimam esse proponit [6], qua philosophia ad certitudinem necessariam progredi possit, haud observans, hanc formalem et externam methodum naturae et indoli philosophiae non convenire — attamen ipse neque hac, neque ulla certa methodo usus est, sed sententias suas philosophicas laxo paene modo, qui non dici potest notioni philosophiae conveniens, exposuit, neque eas ita explicavit, ut totum quoddam et systema evaderet, sed in innumerabilibus schedulis et epistolis lingua consueta et populari perlustrat. Quae quidem res, cuius causa quaerenda est in multitudine munerum atque disciplinarum, in quibus versabatur philosophus noster, haud pauca incommoda affert et intelligere studenti eius philosophiam

5) Raspe pg. 363. pg. 535 sq. 6) Tom. II. p. 1. pg. 17. 19.

et eam exponenti. Hanc enim ob rem et saepe prolixitas tanta est, ut eadem iterum iterumque audiamus et non raro vis et distincta speculationis certitudo in populari tractandi modo evanescit; et praeterea multa, quae disquisitione accuratissima et diligentissima maxime digna erant, obiter tantum attacta sunt; accedit, quod terminologia philosophica, cuius concinnitas et certitudo in rebus philosophicis exponendis maximi momenti est, persaepe demutatur.

B. *Monadologia.*

Monadologiae, quae fundamenta tractat totius Leibnitii philosophiae, vere quidem speculativa elementa insunt, quippe quae id agat, ut relationem rei cogitantis et rei extensae definiat; defectus tamen non exiguus iam putandus est, quod Leibnitius et ab experientia proficiscitur, et, ut in sequentibus clarius apparebit, qualitates substantiarum earumque relationes non ex ipsa substantiae notione explicavit sed empirice recepit.

1. De monade.

a. Monas est substantia simplex.

Monas non est nisi substantia simplex; simplex dicitur, quae partibus caret. Necesse est, dari substantias simplices, quia dantur composita, neque enim compositum est, nisi aggregatum simplicium [7]). Philosophus noster se antea atomos et vacuum defendisse narrat [8]), postea autem haec reiecisse, et quod in materia sola, ut mere passiva, non inesse possint principia verae unitatis, et quod quaeque pars materiae, quamvis sit exigua, tamen semper divisibilis haberi debeat [9]). Monas igitur simplex non est atomus Democriti, sed vera atomus [10]), quia non dantur in ea

7) princ. §. 1. 2.
8) Tom. II. p. 1. pg. 50.
9) Tom. II. p. 1. pg. 53.
10) princ. §. 3.

partes neque extensio nec figura nec divisibilitas. Neque ullus concipi potest modus, quo substantia simplex vel naturaliter interire vel naturaliter oriri possit, quoniam hoc non aliter nisi per dissolutionem vel compositionem partium fieri potest — monas non incipere potest nisi per creationem, nec finiri nisi per annihilationem, cum e contrario composita incipiant et finiantur per partes. Nullo etiam modo explicari potest, quomodo monas alterari, aut in suo interiori mutari queat per creaturam quandam aliam, quoniam in ea nihil transponere neque ullum motum internum concipere licet, qui excitari, dirigi, augmentari aut diminui possit, quemadmodum in compositis contingit, ubi mutatio inter partes locum habet. *Atque adeo neque substantia neque accidens in monadem forinsecus intrare potest*[11]).

b. Qualitates monadis.

Opus tamen est, ut monades habeant aliquas qualitates, alioquin non entia essent. Leibnitius id quoque ab experientia tanquam concessum assumit, quod omne ens creatum mutationi sit obnoxium, ita quoque monas creata. Cum vero in monadem nil forinsecus intrare et hoc modo mutatio effici possit, necesse est, mutationes naturales monadum a principio interno proficisci. Hoc principium internum mutationum est vis[12]).

α. De perceptione monadis.

Haec vis monadis primum est perceptio, quae quidem probe distinguenda est ab apperceptione et conscientia sui. Perceptio per se nihil est nisi repraesentatio multitudinis in unitate[13]), ita quidem ut non opus sit, ut cum hac repraesentatione apperceptio vel conscientia sit coniuncta[14]). Quamquam igitur nil

11) princ. §. 3—7.
12) princ. §. 8—11.
13) princ. §. 13. Tom. II. p. 1. pg. 32.
14) Tom. II. p. 1. pg. 33.

extraneum monadem afficere et in ea aliquid muta[re] potest, omnes tamen mutationes et varietates non so[-]lum sublatae, sed etiam negativo modo ita servat[ae] sunt, ut in substantia ipsa omnium mutationum et to[-]talitatis repraesentatio insit. Id igitur, quod ext[ra] monadem est, quod est monadis non — ens, in mo[-]nade ipsa inest — monas igitur habet in se reflexu[m] negativum. Iccirco monadi nil inest passivitatis, qu[ia] a nulla re afficitur, sed mutationes et determination[es] eius sunt manifestationes monadis ipsius. Hanc ob re[m] monades creatae apte dici possunt entelechiae; habe[nt] enim in se quandam perfectionem (*ἔχουσι τὸ ἐντελές*), datur quaedam in iis sufficientia (*αὐτάρκεια*), cuius v[i] sunt actionum suarum internarum fontes [15]).

β. De appetitu monadis.

Actio principii interni, qua fit mutatio seu transitus ab una perceptione ad alteram, appetitus appellari potest. Verum quidem est, quod appetitus non semper prorsus pervenire possit ad omnem perceptionem, ad quam tendit, semper tamen aliquid eius obtinet, atque ad novas perceptiones pervenit [16]). *Praeter perceptiones earumque mutationes nil datur in substantia simplici* [17]): unde sequitur, monadem semper percipere; si enim percipere desinit, esse quoque desinit.

2. De monadibus.

Iam vero substantiae multae sunt, inter se differunt, et relationem inter se habent.

a. De multitudine monadum.

Quod Leibnitius empirice ob existentiam compositorum simplices substantias esse concludit, multas (et quidem numero infinitas) monades dari constat. Itaque multitudinem monadum non amplius e[x]

15) princ. §. 18. 16) princ. §. 15. 17) princ. §. 17.

notione monadis ut necessariam demonstrat, quamquam in notione unitatis reflexae omnino inest, ut sint multae unitates. Nam monas non solum est perceptio in universum, sed unum quoddam et absolute distincta perceptio; ita ut non solum omnia, quae ipsa non est, percipiat, sed certo et distincto modo percipiat. Relatio autem monadis ad se ipsam est quoque relatio ad sui non — ens. Inde necesse est primum, ut vere existat hoc non — ens, deinde autem, quoniam monas una certa est, ut sit idem ipsum, quod monas est.

b. De varietate monadum.

Ut multitudinem, ita varietatem quoque monadum inter se Leibnitius et ab experientia assumit et empirice constituit. Opus est, ut quaeque monas differat ab alia quacunque. Neque enim unquam dantur in natura duo entia, quorum unum ex asse conveniat cum altero, et ubi impossibile est quandam reperire differentiam internam; deinde vero si substantiae simplices qualitatibus non differrent, nulla etiam in rebus mutatio observari posset, quoniam quod in composito reperitur, aliunde quam ex simplicibus ingredientibus resultare nequit [18]).

Haec varietas monadum in universum in vario gradu perceptionis consistit, ita ut quaeque monas alium habeat gradum perceptionis, quam ceterae omnes. Ab experientia tres perceptionis gradus monadum creatarum afferuntur: perceptio nuda, apperceptio et conscientia sui.

α. De perceptione nuda.

Primus gradus perceptionis est monadum nudarum vel dormientium, quae perceptio nil est nisi nuda repraesentatio multitudinis in uno. Leibnitius

18) princ. §. 9.

hunc gradum perceptionis ita describit: In nobis ipsis experimur statum quendam, in quo nihili recordamur, nec ullam perceptionem distinctam habemus; veluti cum deliquio animi laboramus, aut quando somno profundo absque insomnio oppressi sumus. In hoc statu anima quoad sensum non differt a monade simplici (nuda)[19].

β. De apperceptione.

Altior gradus perceptionis est apperceptio, perceptio magis distincta, quae est status animarum bestiarum. Videmus — inquit Leibnitius — naturam dedisse animantibus perceptiones sublimes, dum iis organa concessit, quae complures radios luminis aut complures undulationes aëris colligunt, ut per unionem fiant magis efficaces. Memoria speciem consecutionis suppeditat animalibus, quae rationem imitatur, sed ab ea distingui debet. Videmus ideo, animantia, dum percipiunt obiectum, quod ipsa ferit et cuius similem perceptionem antea habuere, per repraesentationem memoriae expectare, quod eidem in perceptione praecedente iungebatur et ad sensationes ferri similes iis, quas tum habuerant[20].

γ. De conscientia sui.

Tertius gradus perceptionis, memoria cum conscientia sui et veritatis coniuncta perceptio est animi humani. Cognitio veritatum necessariarum et aeternarum est id, quod nos ab animantibus simplicibus distinguit, et rationis et scientiarum compotes reddit, dum nos ad cognitionem nostri atque Dei elevat. Atque hoc est, quod in nobis anima rationalis sive spiritus appellatur. Cognitioni veritatum necessariarum et earum abstractionibus acceptum referri debet, quod ad actus reflexos elevati simus, quorum vi istud cogi-

---

19) princ. §. 20. 20) princ. §. 25. 26.

tamus, quod Ego appellatur et hoc vel istud in nobis esse consideramus [21].

Totam hanc de varietate monadum et perceptionum disputationem externae reflexionis esse, demonstratione non amplius opus esse videtur. Non enim ex notione et natura monadis, sed a rerum naturae externa contemplatione et a sensu humano discrimina desumuntur; accedit, quod empirice tres tantum gradus perceptionis describuntur, simul vero affirmatur, quamque monadem perceptionis gradu differre a ceteris omnibus.

c. De relatione monadum.

Quod attinet ad relationem monadum inter se, primum distincte enarrabimus, quid Leibnitius ipse hac de re exposuerit, ipsis eius verbis utentes.

a. De activitate et passivitate.

Creatura dicitur agere extra se, quatenus habet perfectionem, et pati ab alia, quatenus est imperfecta. Ita monadi actionem tribuimus, quatenus habet perceptiones distinctas, et passiones, quatenus confusas habet. Et una creatura perfectior est altera in eo, quod reperiamus in ea, quod inservit rationi reddendae de eo, quod in altera contingit, et propterea dicimus, quod in alteram agat. Sed in substantiis simplicibus influxus unius monadis in alteram tantum idealis est, qui effectum sortiri nequit, nisi Deo interveniente, quatenus in ideis Dei una monas cum ratione postulat, ut Deus ordinans ceteras in principio rerum, ipsius rationem habeat. Quoniam enim monas una physice influere nequit in interius alterius, aliud non datur medium, per quod una ab altera dependere valet. Atque ideo actiones et passiones creaturarum mutuae sunt. Deus enim duas substantias

---

21) princ. §. 29—30.

simplices inter se comparans in unaqualibet rationes deprehendit, quibus obligatur unam aptare alteri, et consequenter id quod activum est, quatenus certo respectu passivum secundum alium considerandi modum; activum nempe, quatenus id, quod distincte in eo cognoscitur, inservit rationi reddendae de eo, quod in alia contingit, et passivum, quatenus ratio de eo, quod in ipsa contingit, reperitur in eo, quod distincte cognoscitur in altera [22]).

β. De harmonia monadum praestabilita.

Monades, in quibus nil datur nisi perceptiones earumque mutationes, a Deo creatae sunt, et quidem unaquaeque respectu omnium creata est, ita ut omnes eandem ideam totalitatis repraesentantes et percipientes, inter se conveniant; quamquam igitur quaeque monas ex sua interna natura suaque lege agit et mutatur, ac si sola tantum et Deus existant [23]), cum ceteris tamen omnibus in perpetua harmonia est. Atque huic adaptationi omnium creaturarum ad unamquamque et uniuscuiusque ad ceteras omnes tribuendum, quod quaelibet substantia simplex habeat respectus, quibus exprimuntur ceterae omnes, et per consequens speculum vivum perpetuum universi existat. Et sicuti eadem urbs ex diversis locis spectata alia apparet et optice quasi multiplicatur, ita similiter accidit, ut propter multitudinem infinitam substantiarum simplicium dentur quasi totidem differentia universa, quae tamen non sunt nisi scenographicae repraesentationes unici secundum differentia puncta visus uniuscuiusque monadis [24]). Deus igitur totum ordinans respexit ad quamlibet partem, et inprimis ad unamquamque monadem, cuius natura cum sit repraesentativa, nihil est, quod eam limitare possit ad unam

22) princ. §. 51—54. 23) Tom. II. p. 1. pg. 54.
24) princ. §. 58—59.

tantum rerum partem repraesentandam, quamquam verum sit, quod haec repraesentatio non sit nisi confusa respectu partium universi, nec distincta esse possit, nisi quoad exiguam rerum partem, hoc est earum, quae aut propiores sint, aut maiores respectu uniuscuiusque monadis; alias quaelibet substantia foret aliqua divinitas. Non in obiecto, sed in modificatione cognitionis obiecti monades limitatae sunt. Omnes confuse ad infinitum tendunt, sed limitantur et distinguuntur per gradus perceptionum distinctarum. Atque in eo composita simplicibus conveniunt. Quoniam enim omnia plena sunt, et per consequens omnis materia connexa, et quemadmodum in pleno omnis motus effectum quendam sortitur in corporibus distantibus pro ratione distantiae, ita ut unumquodque corpus non modo afficiatur ab iis, quae ipsum tangunt, et quodammodo percipiat, quod ipsis accidit, verum etiam mediantibus adhuc percipiat ea, quae prima tangunt, a quibus ipsum immediate tangitur; ideo inde sequitur, hanc communicationem procedere ad quamlibet distantiam. Et per consequens omne corpus ab omni afficitur, quod in universo accidat; ita ut is, qui omnia perspicit, in unoquoque legere possit, quod per totum accidit, imo etiam quod iam factum aut adhuc futurum, in praesenti observans quicquid tam secundum tempus, quam secundum spatium elongatur [25]).

Iam haec a Leibnitio exposita, quae quasi termini extremi sunt eius speculationis, distinctius examinemus. Primum igitur ex natura et notione monadum ut necessarium constitutum erat, nil externum in eas ullum influxum habere posse; quaeque igitur monas se ad se tantum refert, ex sua natura agens seque manifestans sine respectu ceterarum. Attamen monades variae sunt et definitae et unaquaeque differt

25) princ. §. 62—63.

a ceteris omnibus, quae varietas et distinctio in gradu perceptionis consistit. Quoad complexum igitur monades eaedem sunt, quaeque enim infinitam habet individualitatem, mundi totalitatem in se continens et repraesentans, sed non quoad modum manifestationis. Monades autem inter se distinctae sunt certumque modum et gradum perceptionis habent, siquidem finis manifestationis non in ipsis sed in aliis positus est; nam hic certus gradus comparatio quaedam est et qualitas mutua. Quod Leibnitius attingit his verbis: Activum aliquid est, quatenus id quod distincte in eo cognoscitur, inservit rationi reddendae de eo, quod in alia contingit, et passivum, quatenus ratio de eo, quod in ipsa contingit, reperitur in eo, quod distincte cognoscitur in altera. Quoniam autem monades in alias nullum influxum habent, earum distinctio et determinatio non in ipsam se ponentem et contra ceteras suam naturam servantem monadem, sed extra eas, in absolutum finem vel in Deum cadit, qui monades iam hoc certo gradu instructas creavit. Passivitas igitur monadum earumque finis, qui in eo consistit, ut ab aliis afficiantur, non in ipsis monadibus et per eas, sed abstracto tantum modo sublata est. Itaque quamquam passivitatem nullam inesse monadibus, et determinationes manifestationes ipsius monadis esse Leibnitius affirmat, haec tamen passivitas non vere sublata sed tantum in absolutum terminum mutata est, quae determinatio ab alio ente posita praedestinatio est. Libertas enim substantiae non ita servatur, ut ipsa totalitatem in se continere nihilque ab aliis accipere dicatur, sed libertas in eo consistit, ut substantia ipsa finem suum neget et supergrediatur. In notione igitur substantiae is inprimis defectus inest, quod quidem negativum reflexum in se continet, hoc vero aliud negativum non per ipsam monadem tollitur, igitur non absoluto sed abstracto tantum modo. Ita quoque harmonia ipsa inter monades, cum in eas

nihil extrinsecus intrare possit et se tantum ad se referat, extra eas cadit. Relationem autem et concordiam inter monades mutuam in harmoniam praestabilitam differre, nihil est nisi eam concessam sumere, et nihil hac de re sciri affirmare.

3. De monade monadum.

Harmonia inter monades a Deo praestabilita est, qui est monas monadum. Quod unaquaeque monas totum mundum repraesentat, non vero eodem modo gradúque, — formae quidem totalitatem habet, non vero totalitatem substantiae. Quam ob rem secundum haec principia finitas in eo consistat necesse est, quod substantia a formâ discreta, illa quidem finita est, haec infinita. In monade absoluta igitur formae et substantiae identitas est. Etenim idea mundi omnesque ideae possibiles intellectui divino insunt, quas adaequate percipit et perfecte cognoscit [26]. Iudicare licet, quod substantia suprema, quae est unica, universalis et necessaria, cum nihil extra se habeat, quod ab ea non dependeat, limitum capax esse nequit et omnem realitatem possibilem continere debet [27]. Unde sequitur, Deum esse absolute perfectum, cum perfectio non sit nisi magnitudo realitatis positivae praecise sumta, sepositis rerum limitibus. Sequitur hinc etiam, creaturas habere perfectiones suas ab influxu Dei, sed imperfectiones a propria natura, essentiae sine limitibus incapaci. In eo enim a Deo distinguuntur [28].

Deinde vero in Deo ipso reflexionem et absolutam negativitatem inesse demonstrandum erat, quo Deus se ad se refert et a se quoque se distinguit, quo absolutum vere ponens est atque creans. Affirmatur quidem a Leibnitio Deus non modo esse fons

---

26) princ. §. 43. Tom. I. pg. 457. 27) princ. §. 40.
28) princ. §. 41—48.

existentiae, verum etiam essentiae[29]); quomodo autem hoc ita se habeat, hac similitudine utitur: Deus, inquit, est unitas primitiva seu substantia simplex originaria, cuius productiones sunt omnes monades creatae aut derivatae; et nascuntur, ut ita loquar, per continuas divinitatis fulgurationes per receptivitatem creaturae limitatas, cui essentiale est esse limitatum[30]). Deus igitur non solum causa immanens mundi sed transeuns est, vel, ut Leibnitius dicere solet, supramundanus[31]). At in eiusmodi vocabulo symbolico „fulgurationis" nullo modo certa notio inest, sed confugimus ad talem enuntiationem, si rei scientia deficit.

Cum ea, quae supra iam relata de Deo asseruntur, minus ad monadologiae speculationes applicata sint, ea aptius ad alium locum differamus.

C. *De rerum natura.*

Monades vera sunt elementa rerum, et nil nisi monades vere existit. Cum in monadibus differentia extensionis et cogitationis immediate sublata sit, quia quidquid existit, percipit quoque, et cogitatio nil est nisi maior gradus perceptionis — nil datur mortuum in natura totusque mundus est intelligibilis[32]).

I. De materia.

Ut ea, quae Leibnitius de materia proposuerit, solide enarremus, inter omnia eius scripta, triginta praecipue epistolae ad P. des Bosses[33]) inspiciendae sunt, in quibus philosophus noster, ab illius oppositionibus, ut ipse concedit, sane acutissimis vexatus, principia monadologiae copiosius et diligentius perlustrat et ad construendam materiam inducit.

---

29) princ. §. 43. 30) princ. §. 48. 31) Tom. I. pg. 286. Theod. 217. Tom. II. p. 1. pg. 123. 32) princ. §. 72. 33) Tom. II. p. 1. pg. 265 sq.

Annotanda primum est distinctio inter materiam primam et secundam. Prima materia[34]) seu τὸ δυναμικὸν πρῶτον παθητικὸν πρῶτον ὑποκείμενον est potentia passiva primitiva, quae non in extensione, sed in extensionis exigentia consistit et cuique entelechiae ut passionis principium est essentialis, neque unquam ab ea separatur, sed entelechiam seu potentiam activam primitivam complet, ut perfecta substantia seu monas prodeat. Deus ipse substantiam non potest privare materia prima, nam faceret inde totum purum, qualis ipse est[35]). Iam ex antecedentibus finitas monadis in eo consistit, quod totum quidem mundum repraesentans, eum non perfecte percipit, ita quoque in perceptionibus distinctis actio monadis, in confusis autem eius passivitas posita est[36]); inde Deus, qui omnia perfecte vel gradu modoque absoluto percipit, nullam continet passivitatem vel materiam primam.

Materia secunda, qualis corpus organicum constituit, resultatum est ex innumeris substantiis completis, quarum quaevis suam habet entelechiam et suam materiam primam, et consistit in massa seu impenetrabilitate et extensione[37]). Hac in re Leibnitius contra Cartesium et Malebranchium disputat, qui materiam nil esse nisi extensionem proposuerant; cui sententiae non assentit, quia, si extensio vera sit essentia materiae, quaeque materiae modificatio ex sola extensione explicari posse debeat, resistentia autem materiae propria ex extensione nullo modo deduci possit[38]). Ex eo autem, quod extensione sublata, materia ipsa sublata sit, nil intelligi posse, nisi quod extensio ad essentiam materiae pertineat[39]); extensionem nil esse

34) Tom. II. p. 1. pg. 268. cf. II. p. 1. 226. II. p. 2. 55. II. p. 1. 214, ubi terminologia mutatur.
35) Tom. II. p. 1, 276. 36) princ. §. 51. 37) Tom. II. p. 1. pg. 276. 38) Tom. II. p. 1. pg. 284. 39) Tom. II. p. 1. pg. 202.

nisi abstractum quoddam, ad quod accedat oportet extensum [40]). Contra ex Leibnitii sententia materi constituitur per antitypiam vel impenetrabilitatem e extensionem [41]). Antitypia illud est attributum, pe quod materia est in spatio; extensio est continuati per spatium seu continua per locum diffusio. Atqu ita, dum antitypia continua per locum diffunditur se extenditur, nec aliud quiddam ponitur, oritur mate ria in se seu nuda. Antitypiae modificatio seu varie tas consistit in varietate loci, extensionis modificati consistit in varietate magnitudinis et figurae. Hinc pa tet, materiam aliquid esse mere passivum, cum attri buta eius earumque varietates nullam actionem invol vant.

Deinde vero explicandum est, quomodo ex mo nadibus, quae nullam habeant extensionem, massa cum antitypia et extensione proficisci possit. Hac in r Leibnitius persaepe male intellectus est, et multi facil eum refelli posse putabant, dicentes, ex aggregation vel compositione entium immaterialium et inexten sorum, quamvis infinitae sint multitudinis, nullo mod massam construi posse. Leibnitius dicit quidem, ma teriam esse acervum substantiarum simplicium [42]) e quamque materiae partem aggregatum esse monadum infinita multitudine, eamque non modo divisibilem i infinitum, verum etiam actu subdivisam esse [43]) (sub divisam scilicet, quod quaeque monas, cum a nulla ali afficiatur, ut seperatus mundus existit) — sed mon etiam, nullam esse monadum propinquitatem aut di stantiam specialem vel absolutam, dicereque, eas ess in puncto conglobatas, aut in spatio disseminatas, ess quibusdam fictionibus animi nostri uti, dum imagi nari libenter velimus, quae tantum intelligi possint [44]) Itaque monades esse partes corporum, tangere sese componere corpora, non magis dici debet, quam ho

40) Tom. II. p. 1. pg. 205. 41) Tom. II. p. 1. pg. 230.
42) Rasp. pg. 12. 43) princ. §. 68. 44) Tom. II. p. 1. pg. 29

de punctis et animabus dicere licet [45]). Massa enim nil est nisi phaenomenon bene fundatum, ut iris et imago in speculo [46]), et extensio nil est reale vel substantiale, sed tantum modificatio substantiarum [47]); nam nil reale est, nisi monades, quae unicae vere existunt [48]).

Si cogitamus de duobus simplicibus, tanquam simul existentibus, licet a se invicem distinctis, ea in mente nostra quodammodo collocamus alterum extra alterum eaque hoc pacto tanquam quid extensum compositumque concipimus. Namque extensio nihil aliud est, quam continuata multiplicatio, quam nos tanquam extensionem concipimus. Seu concipi entia simplicia possunt velut res, quae multiplicem inter se relationem habeant, quod attinet ad internum eorum statum, qua multiplici relatione ordo quidam constituitur, quo existant, atque hic ordo rerum una existentium, quin nos, qua ratione inter se coniungantur, nosse possimus, occasionem praebet confusae perceptioni, unde phaenomenon extensionis oritur [49]). Iam vero respiciamus ad antecedentia, secundum quae materia prima, quae est exigentia materiae secundae, ut principium passivum monadi concreatur; deinde vero ex monadologia passivitas monadum in perceptionibus confusis consistit. Materia autem secunda resultans est ex monadibus *completis;* quamquam igitur materia prima vel principium passivum vel perceptiones confusae massam exigunt, vis tamen activa quoque requiritur, ut materia secunda existat. Nam vis activa et passiva in quaque monade unitae sunt. Quoad vero quaeque monas activa vis est percipiendi, non est massa, quoad autem eadem monas gradum tantum habet perceptionis vel confuse quoque percipit, in quaque monade

45) Tom. II. p. 1. pg. 295. 46) Tom. II. p. 1. pg. 289.
47) Tom. II. p. 1. pg. 317. 48) Tom. III. pg. 499.
49) Tom. II. p. 1. pg. 3.

possibilitas materiae secundae inest; cum autem mas
resultans sit ex innumerabilibus perceptionibus, per
non existit, sed tantum in ente percipiente, quod h
perceptiones complectitur — vel massa nil est nisi pha
nomenon. Hanc ob rem per sensus tantum concip
mus materiam secundam, qui confusas nobis pra
bent ideas; hinc vero eos falli non sequitur, neq
enim sensus pronuntiant aliquid de rebus metaphysi
cis, et eorum veracitas in eo consistit, ut phaenomen
consentiant inter se, neque decipiamur eventibus,
rationes experimentis inaedificatas probe sequamur[50]
Cui Leibnitii de materia sententiae opponere aliqu
poterat, se solum existere. At, inquit Leibnitius[51])
ratione rerum (etiam sine respectu ad sapientiam di
vinam) iudicamus, nos non solos existere, quia null
apparet privilegii pro uno ratio; neque ipse aliter ra
tione convincere poteris aliquem, qui contenderet s
solum existere, alios a se tantum somniari. Sed ra
tio datur privilegii existentium prae non existentibu
seu cur non omnia possibila existant.

Afferamus denique hac de re duo loca, ut qua
tenus Leibnitius hanc rem perscrutatus sit, videamu
Massa, inquit[52]), nil est, nisi phaenomenon. S
Deus novam creet animam vel monada potius, et fa
ciat priora organica coire in novum corpus organicu
non ideo auxerit massam sed quantitatem phaenome
ut patet. Si Leibnitium his paucis verbis sibi co
tradicere nolumus, quod scilicet affirmat, non m
sam sed phaenomenon tantum augeri, quamqu
massa nil est nisi phaenomenon, haec verba ita s
mamus necesse est: per creationem monadis, cu
Deo ex corporibus iam existentibus corpus organic
coniungitur, non augetur massa, ut ea accipi so
per se realitatem habens, sed tantum phaenomen

50) Tom. II. p. 1. pg. 319. 51) Tom. II. p. 1. pg. 319.
52) Tom. II. p. 1. pg. 289.

neque minus igitur massa, si recte de ea sentimus, eam scilicet nil nisi phaenomenon putantes. Augetur autem phaenomenon per talem monadis creationem, quod ens superadditur, cui massa apparet.

Deinde vero Leibnitius alio loco hac ratione ne phaenomena quidem augeri contendit. Concedo, inquit [53]), per creationem monadum augeri quidem numerum monadum, quarum resultatum utique massa est, sed non extensionem aut resistentiam aut phaenomena, non magis quam si nova puncta oriuntur. Deus infinitas monades creare posset, non augendo massam, si ad novae monadis corpus organicum non nisi veteres monades adhiberet. Massa est phaenomenon reale, nec in phaenomenis (exceptis iis, quae apparent ipsi novae monadi utique nove) quicquam mutatur ob novae monadis ortum, nisi forte miraculo. — Hunc locum ut recte intelligamus, ad parenthesin illam potissimum attendendum est. Auctio phaenomeni in eo solum consistit, quod plures sunt, quibus massa apparet; hac autem re phaenomenon ipsum per se non augetur, et ad quantitatem massae vel phaenomeni nil attinet, utrum ab uno ente an ab innumeris percipiatur.

Secundum haec loca massa augetur vel (quod eodem redit) existit per aggregationem infinitarum monadum *dormientium;* hae vero per se massae phaenomenon non constituunt, sed accedat oportet monas, cui illa aggregatio infinitarum monadum vere resultans est vel quae illas monades confuse percipit. Itaque, ut phaenomenon massae appareat, necesse quoque est, ut illa monas confuse percipiens habeat vim distinctae perceptionis; aliunde enim ipsi monadi complexio infinitarum perceptionum non ut massa appareret, quae est confusa perceptio vel terminus quidam in entelare percipiente.

53) Tom. II. p. 1. pg. 285.

Cum vero materia nuda mere passiva sit, et per se nullam habeat realitatem: neque in se ipsa causam agendi continet, neque ex solo mechanismo seu materia nuda ejusque modificationibus perceptio explicari potest, non magis quam principium actionis et motus [54]). Hoc actionis principium in substantia simplici et immateriali inest; et hoc modo dici potest, materiam ab anima actuari [55]). Quamobrem ad constituendas regulas motus systematicas axiomata geometrica non sufficiunt, sed consideratione metaphysica substantiarum earumque principii interni opus est [56]). Ita quoque motus ipse revera nunquam existit, cum nunquam partes habeat simul, sed consistat in successione ut tempus; impetus vero seu vis derivativa res est revera existens [57]).

2. De spatio, tempore et vacuo.

Cum hac de materia sententia intime ea cohaerent, quae Leibnitius de spatio et tempore disputavit. Spatium absolutum nil est nisi notio abstracta, et quidem ordo rerum coexistentium, quod adhibito rationis sufficientis principio demonstrat [58]). Spatium scilicet est absolute uniforme et, si res in spatio positas non respicimus, una particula spatii a qualicunque non differt. Si autem spatium aliquid reale esset extra res existens, causa non adesset, cur Deus res ita posuerit et ordinaverit et non modo contrario. Si vero spatium nil est nisi ordo rerum vel modus, non extra res sed in rebus ipsis positus, tota haec quaestio fit inanis, quod variae spatii partes non discernendae et varia in spatio positio nullius momenti sunt.

Deinde tempus ordinem rerum esse sibi invicem succedentium simili modo demonstrat [59]). Itaque

54) Tom. II. p. 1. pg. 231. 55) Tom. II. p. 2. pg. 154. 56) Tom. III. pg. 320. 321. 57) Tom. III. pg. 315. Tom. II. p. 2. pg. 154. 58) Tom. II. p. 1. pg. 121. 59) Tom. II. p. 1. pg. 121. 122.

quaestio, cur Deus mundum non prius creaverit, plane inanis est; postulat enim comparationem temporum, quae adhuc non existunt [60]).

Quod vero spatium absolutum imaginarium tantum quoddam est, non esse vacuum in mundo necessario sequitur. Leibnitius superaddit causas: quo plus enim materiae sit, eo plus Deum occasionis habere exercendae potentiae et sapientiae suae [61]); deinde etiam vacui existentiam contra principium rationis sufficientis esse, quod in vacuo nil sit cur eligatur [62]). Propositio: omnia plena esse in mundo [63]), magni momenti est in Leibnitii philosophia. Nam secundum harmoniam praestabilitam et quaeque substantia respectu omnium creata est, et ab omnibus idealiter afficitur, ita ut quaeque monas speculum sit totius mundi, in quo et totum universum et quisque universi motus et mutatio exprimatur.

3. De creaturis.

Omnia corpora duplicis generis esse Leibnitius statuit, aut organica aut anorganica sive mere aggregata [64]). Omnia quidem corpora in se continere corpora organica, etsi nobis non semper perceptibilia affirmat [65]); ad hanc autem sententiam parum respicit, et hominibus, animalibus, plantis corpus organicum tribuere solet, cetera corpora, ut cadavera mortuorum, lapides, quamquam in se alia organica contineant, ipsa non esse unum per se, sed mere aggregata perhibet [66]).

a. De corporibus organicis.

Ut corpus sit organicum, habeat necesse est monadem dominantem sive entelechiam [67]). Dominatio

60) Tom. II. p. 1. pg. 318. 61) Tom. II. p. 1. pg. 114.
62) Tom. II. p. 1. pg. 133. 63) Tom. II. p. 1. pg. 32.
64) Tom. II. p. 1. pg. 314. 65) Tom. II. p. 2. pg. 155.
66) Tom. II. p. 1. p. 314. II,1,39. 67) princ. §. 78. Tom. II. p. 1. pg. 283.

autem et subordinatio monadum in ipsis consideratis monadibus non consistit nisi in gradibus perceptionum[68]), ita ut monas dominans, etsi repraesentet et percipiat totum quidem universum, multo tamen distinctius percipiat et repraesentet corpus suum organicum, quod ipsi peculiari ratione adaptatum est[69]). Quodlibet, inquit Leibnitius[70]), corpus organicum viventis est species machinae divinae aut automati naturalis, quod omnia automata artificialia infinitis modis antecellit; quoniam machina arte hominis facta non est machina in qualibet parte. Machinae vero naturae, hoc est corpora viventia, sunt adhuc machinae in minimis partibus usque in infinitium; quod fieri potuit, quia portio quaelibet materiae non modo divisibilis in infinitum, verum etiam actu subdivisa est. Liquet inde in minima portione materiae dari mundum creaturarum viventium, animalium, entelechiarum, animarum[71]).

Ut autem nullum corpus organicum omni entelechia primitiva seu monade actuatrice perfecte caret[72]), ita nulla anima naturaliter ab omni corpore organico vel machina est separata, licet ea machina, cum figuram suam summatim conservet, in fluxu consistat perpetuoque reparetur, ut navis Thesei[73]). Enimvero haudquaquam imaginari debemus, animam unamquamque habere massam quandam aut portionem materiae propriae, et per consequens possidere alia viventia inferiora semper ad ipsius servitia destinata. Omnia enim corpora rivorum instar in perpetuo fluxu sunt, et partes aliae continuo egrediuntur, aliae ingrediuntur[74]). Cum vero entelechia nunquam sit sine corpore organico, concluditur, sine omni dubio dari quandam praeformationem, et corpus non modo organicum iam praeexstitisse ante conceptionem,

68) Tom. II. p. 1. pg. 299. 69) princ. §. 64. 70) princ. §. 67.
71) princ. §. 69. 72) Tom. II. p. 2. pg. 157.
73) Tom. II. p. 1. pg. 227. 74) princ. §. 74.

seductionem animam in hoc corpore, hoc est animal totum ipsum [75]); et non solum animal nunquam naturaliter incipere, sed nunquam etiam naturaliter finiri [76]). Atque adeo nulla datur generatio nec mors perfecta, rigorose loquendo; sunt enim evolutiones et accretiones, quas generationes appellamus, quemadmodum involutiones et diminutiones, quas mortem vocamus. Neque vero unquam datur metempsychosis, sed tantum metamorphoses [77]). Atque haec cum experientia concordant, cum observationibus exactis de plantis, insectis et animalibus compertum sit, quod hatie corpora organica naturae nunquam ex chao seu putrefactione prodeant, sed constanter per semina [78]).

Quae cum ita sint, necesse est, ut angeli quoque et entelechias, nempe mentes, et corpora etiam habeant [79]); et arbitratur philosophus noster (cum naturaliter possibile sit, et ad perfectionem universi faciat) eos esse entelechias, quae facillime mutent corpus, seu de corpore in corpus transeant, non momento quidem, sed brevi tamen tempore, licet per gradus [80]).

b. De substantia composita vel vinculo substantiali.

Quae in antecedentibus de materia, corpore organico et anorganico enarravimus, in variis libellis saepius a Leibnitio proponuntur; huc autem attinet, speculationis Leibnitii mentionem facere, quam in ultimis tantum epistolis ad des Bosses, quas paulo ante mortem perscripsit, invenimus. Placitum autem ibi expositum non parvi videtur esse momenti, quod hoc placito systematis sui defectum et attingit et emendare studet, oppositionibus ductus, quae non extrinsecus petitae, rem ipsam tetigisse videntur, quod quidem de ceteris ab aequalibus con-

75) princ. §. 77. 76) princ. §. 79. 77) princ. §. 75—76. 78) princ. §. 77. 79) Tom. II. p. 1. pg. 273. 80) Tom. II. p. 1. pg. 274.

tra Leibnitium factis negari debet. Iam aliis loci Leibnitius animal vel ens, quod consistat ex anima vel monade dominante et corpore organico, substantiam compositam dici posse proposuerat[81]), sed hanc rem nullius esse momenti et de solo nomine quaeri[82]). His autem locis quaestio illa, an vere existat substantia composita, et aliud significat, et maximi est momenti. Nam ex antecedentibus nil nisi monades erat reale et corpora per se nil erant nisi mere aggregata et phaenomena, quia non in se ipsis principium agendi vitaeque continebant; cum vero in his epistolis ens corpore organico praeditum non esse phaenomenon, sed vere dici debere substantiam compositam Leibnitius affirmet: his verbis contendit, illud ens ipsum in sua totalitate principium agendi complecti. Itaque si iam antea animal unum per se nominabatur, hic praeterea quaeritur, cur et quomodo sit unum per se, quamquam quaeque monas se tantum ad se referat. Quam ob causam de organico tantum corpore hic agi bene annotandum est[83]), qua quidem in re Leibnitius non amplius ad sententiam suam respicit, in quaque parte materiae organica corpora contineri, sed de iis tantum cogitat, quae a nobis ut organica cognoscuntur.

Ut autem vere existat substantia composita, efficitur per vinculum substantiale a Deo monadibus superadditum, quod massae phaenomena realizat[84]). In definienda natura huius vinculi substantialis Leibnitius fluctuat dubitatque, et saepius, quod nunc posuit, brevi post destruit. Attamen pauci loci, quid voluerit sibi hoc vinculo substantiali, satis demonstrant. Ego puto, inquit[85]), nisi dentur substantiae corporeae, corpora in phaenomena abire. Et ipsa aggregata nihil aliud sunt, quam phaenomena, cum praeter monades ingredientes caetera per solam perceptio

81) Tom. II. p. 1. pg. 215.
82) Tom. II. p. 1. pg. 209.
83) Tom. II. p. 1. pg. 306.
84) Tom. II. p. 1. pg. 294.
85) Tom. II. p. 1. pg. 319.

nem addantur, eo ipso dum simul percipiuntur. Praeterea si solae monades essent reales, alterutrum necessarium esset, aut corpora esse mere phaenomena, aut continuum oriri ex punctis, quod absurdum esse constat. Continuitas realis non nisi a vinculo substantiali oriri potest. Si nihil existeret substantiale praeter monades seu si composita essent mere phaenomena, extensio ipsa nil foret nisi phaenomenon, resultans ex apparentiis simultaneis coordinatis, et eo ipso omnes controversiae de compositione continui cessarent. Quod vero additur monadibus, ut phaenomena realizentur, non est modificatio monadum, quia nihil in earum perceptionibus mutat. Ordines enim seu relationes, quae duas monades iungunt, non sunt in alterutra monade, sed in utraque simul, id est revera in neutra, sed in sola mente; hanc relationem non intelligis, nisi addas vinculum reale seu substantiale aliquid, quod sit subiectum communium seu coniungentium praedicatorum et modificationum.

Deinde ad naturam huius vinculi perspiciendam annotandum est, Leibnitium primum quidem vincula substantialia generabilia et corruptibilia putavisse [86]), posteo vero re expensa, quemadmodum non tantum animam sed etiam animal, ita etiam haec vincula substantialia nec naturaliter oriri nec occidere, posuisse [87]).

Denique hoc vinculum substantiale principium est actionis compositi [88]). Et profecto cum verum indicium substantiae sit actio, nisi ipsa substantia composita, quatenus composita est, agit, non erit substantia composita, sed merum phaenomenon, nihil habens praeter monades et singularum modificationes, nulla invicem reali connexione, neque physica neque metaphysica, quae fit per unionem. Ne

---

86) Tom. II. p. 1. pg. 302. 87) Tom. II. p. 1. pg. 306.
88) Tom. II. p. 1. pg. 317.

que minus vinculum substantiale principium est resistentiae[89]) vel potentia passiva compositi.

Iam vero ex locis allatis de substantia composita vel vinculo substantiali hoc statuendum esse videtur. Secundum monadologiam et harmoniam praestabilitam inter substantias nullus est connexus, sed tantum consensus; unaquaeque est enim velut separatus quidam mundus[90]). In corpore autem organico non solum consensus, sed etiam connexus esse videtur, et alia longe est unio[91]), quae facit, ut animal vel quodvis corpus natura organicum sit unum substantiale, habens unam monadem dominantem, quam unio, quae facit simplex aggregatum, quale est in acervo lapidum. Ad tale unum per se constituendum simplex inter monades consensus non sufficit, sed necesse videtur, ut non solum monades se tantum ad se referant caeterasque repellant, sed etiam ut se invicem attrahant. Cum autem Leibnitius systema non credit esse possibile[92]), in quo monades in se invicem agant, haec attractio in vinculum substantiale a Deo monadibus superadditum mutata est; itaque unitas substantiae corporeae in equo non oritur ab ulla refractione monadum, sed a vinculo substantiali superaddito, per quod in monadibus ipsis nihil prorsus immutatur[93]).

a. De brutis.

Quod attinet ad naturam brutorum, Leibnitius contra Cartesianos disputat, qui bruta nil nisi machinas esse statuebant[94]). Iam vidimus, ex Leibnitii sententia brutorum animam vel monadem dominantem non solum nudam habere perceptionem, sed apperceptionem vel sensionem, quae est perceptio, quae aliquid distincti involvit et cum attentione et memoria

89) Tom. II p. 1. pg. 317.
90) Tom. II. p. 1. pg. 297.
91) Tom. II. p. 1. pg. 300.
92) Tom. II. p. 1. pg. 311.
93) Tom. II. p. 1. pg. 299.
94) Tom. II. p. 1. pg. 231.

coniuncta est[95]). Consecutiones igitur empiricae nobis sunt communes cum brutis, et in eo consistunt, ut sentiens ea, quae aliquoties coniuncta fuisse expertum est, rursus coniunctum iri expectet[96]). At homo, qui habet cogitationem vel perceptionem cum ratione coniunctam, quatenus non empirice sed rationaliter agit, non solis fidit experimentis aut inductionibus particularium a posteriori, sed procedit a priori per rationes. Iam vero bruta, ut corporibus organicis instructa, praeexstiterunt, et per multas variasque mutationes, involutiones evolutionesque ad praesentis existentiae statum pervenerunt, neque sententia reiicienda est, ea ad eminentiorem naturae statum provectum iri[97]). Ut bruta praeformata sunt, ita non solum anima eorum, sed totum animal in morte, cuius tempus non distincte definiri potest, servatur[98]). Quam sententiam Leibnitius exemplo illustrat. „Finge, inquit[99]), animal se habere ut guttam olei, et animam ut punctum aliquod in gutta. Si iam divellatur gutta in partes, cum quaevis pars rursus in guttam globosam abeat, punctum illud existet in aliqua guttarum novarum. Eodem modo animal permanebit in ea parte, in qua anima manet et quae ipsi animae maxime convenit." Quamquam autem bruta physice quidem immortalia habenda sunt, iis tamen ut divinae societatis et iuris incapacibus, personae conservatio et moralis immortalitas, quam acquirunt homines, tribui non potest[100]).

β. De homine.

aa. De praeformatione et immortalitate.

Animus vel spiritus, qui est monas dominans hominis, ad conscientiam sui et ad cognitionem verita-

---

95) Tom. II. p. 1. pg. 232, X. 96) Tom. II. p. 1. pg. 233, XIV. 97) Tom. II. p. 1. pg. 329. Raspe pg. 70. 98) Tom. II. p. 1. pg. 51. 99) Tom. II. p. 1. pg. 269. 100) Tom. II. p. 1. pg. 228. 229.

tum necessariarum Deique se elevat. De praeformatione hominis haec leguntur[1]): Ostendi animas nec nasci naturaliter nec alias ex aliis educi posse ac necesse esse, ut nostra vel creetur de novo vel praeexstiterit. Quin immo medium quendam indicavi modum inter creationem omnimodam et praeexistentiam perfectam, arbitratus congrue dici posse, quod anima praeexistens in seminibus, ab initio non fuerit nisi sensitiva, sed deinde ad superiorem rationis gradum elevata, postquam homo ille, cuius futura erat anima, conceptus fuisset, quodque corpus organicum, huic animae semper ab initio copulatum, post multas denique mutationes determinatum fuerit ad formandum corpus humanum. Iudicavi etiam, hanc animae sensitivae elevationem (quae ipsam promovet ad gradum essentialem magis sublimem, hoc est ad rationem) extraordinariae Dei operationi adscribi posse. Iuverit tamen addere, quod mallem hominis perinde atque aliorum animalium generationem sine miraculo statuere; quod ipsum utcumque explicari poterit, si concipias, e magno illo animarum vel animalium vel saltem corporum organicorum vitam habentium et in seminibus latentium numero solas animas naturae humanae destinatas rationem involvere, suo tempore prodituram, et corpora organica sola esse praformata atque praedisposita ad suscipiendam aliquando formam humanam, dum interim animalcula sive viventia seminalia, in quibus nil huiusmodi praestabilitum est, a prioribus illis essentialiter discrepant, et in genere inferiore sunt constituta. Haec productio tradux quidem est, sed paulo tractabilior, quam qui vulgo ponitur, non animae ex anima, sed animati ex animato, ac frequentia novae creationis miracula evitans, quibus anima noviter creata ac pura in corpus, illam corrupturum, immitteretur.

1) Tom. I. pg. 393. theod. 397.

Ut totus homo iam praeexstitit; ita etiam post mortem persona non destruitur; itaque non tantum vitam et animam ut bruta, sed etiam conscientiam sui et memoriam pristini status servat. Quamquam igitur animae in animalculis seminalibus inde ab initio rerum latentes non sunt ipsae iam rationales, donec per conceptum ad vitam humanam destinentur, ubi tamen semel rationales factae sunt et conscientiae ac societatis cum Deo capaces redditae, numquam deponent personam civis in republica Dei [2]).

bb. De coniunctione animi et corporis.

In explicanda mentis et corporis unione maximi momenti est placitum de harmonia praestabilita, qua in re bene annotandum est, animum et corpus non esse entia plane contraria ex Leibnitii principiis, sed nil existere nisi substantias, quarum discrimen in gradu tantum perceptionis consistit. Hac in re philosophus noster contra sententiam occasionalismi et physici influxus potissimum disputat [3]); contra occasionalismum, ex quo Deus hanc unionem inter animam et corpus, diversas substantias, efficit, ita quidem ut demonstret, per eum Deum ex machina perpetuumque miraculum adduci, quamobrem rerum naturam, quod hoc miraculo indigeat, non sapienter creatam et constitutam esse; contra systema physici influxus, quod sit contra notionem substantiae ipsam.

Cum animus sit monas neque minus corpus ex monadibus constet: neque animus corpus neque corpus animum movere et afficere potest, quod in monades nil extrinsecus intrare potest, sed quaeque ex interna sua natura et vi agit et se manifestat. Animae agunt, ac si corpora nulla darentur, et corpora agunt, ac si animae nullae essent [4]). Anima autem,

2) Tom. II. p. 1. pg. 229. 3) Tom. II. p. 1. pg. 73.
4) princ. §. 82. 84.

quamquam distinctius corpus, cui adaptatum est, repraesentat, attamen, quod est monas, totum etiam mundum percipit et exprimit; neque minus monades corporis non solum animam, sed totum repraesentant mundum. Quem mundum cum eundem et monas dominans et monades corporis quamvis diverso modo percipiunt, in actionibus suis per harmoniam inter omnes substantias praestabilitam inter se concordant. Deus igitur[5]) statim animam ea ratione creavit, ut ipsa sibi producere sibique repraesentare ordinate debeat, quidquid in corpore transigitur, et vicissim corpus ea ratione, ut ex sese facere debeat id, quod ab anima praecipitur. Ita ut leges, quae in finalium causarum ordine et secundum evolutionem perceptionum, animae cogitationes colligant, debeant eo ipso imagines producere, quae corporum in organa nostra impressionibus respondeant, et vicissim ut leges motuum corporeorum, in causarum efficientium ordine sibi succedentium, respondeant cogitationibus animae sic, ut corpus ad agendum moveatur eo tempore, quo vult anima ut moveatur.

Contra hanc Leibnitii, quam saepissime perlustrat, sententiam iam vivente Leibnitio multa opposita sunt et disputata, quod ubi principia ad solvendam certam quaestionem adhibentur, quem ad finem ducant, facilius videri potest. Quibus in oppositionibus hic ingens defectus inest, quod extrinsecus petitae principia ipsa non attingunt. Nam haec per harmoniam inter monades praestabilitam explicatio unionis corporis et mentis, a principiis monadologiae discerpi non potest, sed in monadologia et notione monadis iam fundata est. Notio igitur substantiae ipsa aggredienda est, si hanc hypothesin refellere volumus.

Iam Foucherus in libello, quo varia Leibnitio opposuit, systema praestabilitae harmoniae non ita

5) Tom. I. pg. 163.

multum ab occasionalismo Cartesiano differre affirmat [6]). Leibnitius rationes diversas unionem corporis et animi explicandi exemplo a duobus horologiis petito illustrare solet [7]). Systema physici influxus repraesentari per duo horologia, quae instrumento aliquo coniuncta congruant; systema occasionalismi per horologia male constructa, quae ut congruant directore aliquo indigeant; systema denique harmoniae praestabilitae per horologia, quae per suam ipsorum praestantiam sine cuiusvis auxilio consentiant. Quod exemplum maxime claudicare in aperto est. Leibnitius enim contra occasionalismum invehitur, quod secundum eum rerum natura, quippe Deo ex machina indigens male fundata sit. At naturam male fundatam esse, sicut illa horologia male constructa, nullo modo in occasionalismi sententia inest. Substantiae rei extensae et rei cogitantis non ideo Deo coniunctore indigent, quod male creatae et constitutae sunt, sed quod sunt substantiae, quippe quae se tantum ad se referant; recte igitur concluditur, siquidem substantiam nulla re indigere constat, eas non esse substantias. Praeterea vero in illa sententia hic defectus inest, quod haec Dei assistentia neque ex notione Dei neque ex notione substantiae deducitur, quam ob rem hic vere Deus ex machina est. Ex Leibnitii autem principiis ipsis substantiae a Deo, substantia absoluta, creatae sunt et servantur. Creatae autem substantiae, quae sine Deo existere nequeunt, ad Deum et se ipsas tantum spectant, inter se autem nullum habent connexum; ut vero in manifestationibus et actionibus consentiant, quaeque cum certo gradu perceptionis respectu omnium iam creata est. Cum vero hi certi gradus non ex notione et natura substantiae ipsius derivati sint, sed sine deductione necessaria asserantur, praestabilita harmonia in re ipsa ab occasionalismi

6) Tom. II. p. 1. pg. 103. 7) Tom. II. p. 1. pg. 71.

sententia non differt, neque minus, quam illa, deficiente scientia ad Deum confugit. Discrimen autem inter haec duo placita in eo consistit, quod in occasionalismo assistentia Dei aliquid extra substantias creatas est, in harmonia autem Leibnitii hoc extraneum in substantiam ipsam infertur. Quam ob causam in occasionalismo assistentia Dei non solum accidens est et inexplicatum quoddam, sed tollit etiam notionem substantiae, in harmonia vero praestabilita eadem si non notioni substantiae alienum quoddam, tamen in notione substantiae nullo modo fundata est.

Neque praeterea Spinoza hac in re cum Leibnitio omni ex parte consentire dici potest, quod affirmat Mendelsohnius, qui Leibnitii harmoniam praestabilitam a Spinoza iam propositam esse magno gaudio deprehendit [8]). Is ad sententiam suam probandam ad locum Spinozae respicit Eth. III. prop. II, ubi nec corpus mentem ad cogitandum, nec mentem corpus ad motum neque ad quietem nec aliquid (si quid est) aliud determinare posse proponit. Hac quidem in re Cartesius, Spinoza et Leibnitius consentiunt. Spinoza rem extensam et rem cogitantem non substantias, sed attributa substantiae putans, ex principiis suis affirmare debet, „mentis tam decretum quam appetitum et corporis determinationem simul esse natura vel potius unam eandemque rem esse, quam quando sub cogitationis attributo consideratur, et per ipsum explicatur, decretum appellamus, et quando sub extensionis attributo consideratur et ex legibus motus et quietis deducitur, determinationem vocamus" [9]). Iam vero cum Spinoza duo illa attributa non ex notione substantiae absolutae ipsa ut necessaria deducat, asserere licet, in hac abstracta explicatione mentis et corporis unionis eundem defe-

8) Mendelsohn Philosoph. Schriften. Berl. 1771. Th. I. pg. 208 sq.
9) Eth. III. pr. II. schol.

ctum esse ac in Leibnitii harmonia praestabilita: sed bene annotandum est, ex Spinozae sententia Deum causam mundi immanentem esse, non transeuntem, secundum Leibnitium vero transeuntem quoque et supramundanum; quam ob rem unio corporis et mentis apud Spinozam in essendo Dei inest, apud Leibnitium in sapientia Dei, alias substantias creantis.

D. *De cognitione humana.*

Hoc usque Leibnitium propositiones disquisitionesque monadologiae principiis applicasse semperque ad ea respexisse vidimus; iam vero in sequentibus saepissime haec eum plane negligere apparebit, unde permulta placita proposita non solum externae sunt reflexionis, sed etiam monadologiae plane contraria.

Quod attinet ad quaestionem de cognitione humana, ne integram solidamque exspectemus speculationem. Leibnitius enim hanc rem in ceteris scriptis, si res fert, paucis attingit, in libro autem, quem de cognitione humana contra Lockium perscripsit, magis destruit quam nova construit, viam potissimum demonstrans, qua Lockii sententiae disquirendae et corrigendae sint. Iam ex ratione, qua hoc libro hanc difficilem profecto gravemque quaestionem tractat, apparet, systema Leibnitii non dici posse excultum omni ex parte. Proprias speculationes alienorum propositionibus hoc modo adiungere, et commodius et iucundius esse, philosophus noster affirmat, quam ex proprio fundamento opus plane novum construere [10]). At talis philosophiae expositio, praesertim cum hi philosophi in fundamentis ipsis dissentiant, ei tantum commoda et iucunda esse potest, cuius sententiae adhuc non ita fundatae et excultae sunt, ut intime inter se cohaereant; et si alter ordinem expositionis alterius sequitur, quocum in principiis dissentit, quod in

10) Rasp. Avantpr. pg. 8.

eo ordo erat, apud hunc confusio est. Accedit, quod alter contrariam suam sententiam defendens ad fundamenta respicere et eorum particulas et fragmenta arripere debet, quod quidem, cum paulo incommodius sit, saepe negligitur, quo tota disputatio fit externa rixa.

I. De indole humana.

Iam antea Leibnitium gradum perceptionis et praestantiae monadis modo empirico constituere vidimus, cum de tribus earum gradibus loqueretur. Immensum est[11]), ex eius dictis, discrimen inter perceptionem hominum et brutorum. Nam praeter infimum perceptionis gradum, qui etiam in stupentibus reperitur, et medium gradum, quem sensionem appellamus et in brutis agnoscimus, datur gradus quidam altior, quem appellamus cogitationem. Cogitatio autem est perceptio cum ratione coniuncta. Quo fit, ut cum consecutiones empiricae nobis sint communes cum brutis, homo ad cognitionem necessariarum veritatum, sui Deique se elevet.

Ut vero nihil inest in monadibus nisi perceptiones earumque mutationes, ita cogitatio essentiam animi, monadis dominantis hominis constituit. Quam ob rem animus, quod nil ei inest nisi cogitatio, nunquam non cogitat; si enim non cogitat, esse etiam desinit[12]). Cum vero animus nequaquam huius sempiternae cogitationis conscius sit, ut in somno, aptius profecto dici videtur, hominem quidem non semper cogitare, tamen agere et percipere semper[13]). Per vim vero cogitandi homines, cum animae in genere sint specula viventium seu imagines universi, insuper tanquam spiritus sunt imagines ipsius divinitatis seu auctoris naturae, qui systema universi cognoscere et aliquid eius per scintillulas architectonicas imitari

11) Tom. II. p. 1. pg. 233. 12) Raspe pg. 68.
13) Tom. II. p. 1. pg. 220.

possunt, cum spiritus unusquisque sit parva quaedam divinitas in suo genere. Atque inde est, quod spiritus sint capaces societatis alicuius cum Deo ineundae, et quod ipse eorum respectu non solum sit inventor, qualis est respectu creaturarum caeterarum, sed insuper princeps et parens, hoc est, eam habet ad ipsos relationem, quam princeps ad suos subditos et parens ad liberos suos [14]).

2. De ideis et veritatibus innatis.

Cum experientia et exemplorum singulorum quamvis innumerorum observatio nullo modo ad scientiam veritatum necessariarum, quas homo acquirit, adducere possit [15]), veritates necessariae homini sint innatae necesse est [16]). Natura autem veritatum a natura idearum dependet, quae aeque ac veritates animo nostro innatae sunt [17]).

Quod attinet ad ideas innatas philosophus noster contra Lockium potissimum disputat, qui animum tabulam rasam esse ac scientiam omnesque ideas a perceptione rerum externarum proficisci constituit. Idea est ex sensu Leibnitii quodvis immediatum internum obiectum cogitandi vel expressio naturae et rerum qualitatum [18]). Deinde discernit inter ideas intellectuales et ideas sensibiles; ideae intellectuales e solo intellectu effluunt, eique sunt innatae, ut notio essendi, unitatis, durationis, mutationis, actionis, perceptionis, gaudii et sexcentae aliae; ideae sensibiles ex sensibus oriuntur et hanc ob rem confusae sunt [19]). Alio autem loco [20]) omnes ideas, sensibiles quoque, animum ex fundo proprio desumere contendit, quod haud dubie cum monadologiae fundamentis rectius congruit; ex his enim, cum in monadem nil extrinsecus intrare posse constet, ideam confusam in-

---

14) princ. §. 86—87. 15) Raspe Avantp. pg. 5. 16) Raspe pg. 363. 17) Rasp. pg. 37. 18) Rasp. pg. 65. 19) Rasp. pg. 27. 20) Tom. II. p. 1. pg. 220.

feriorem esse gradum perceptionis animi ipsius affirmandum est.

Causam primariam, qua ideas animo innatas esse Leibnitius probat, ex monadologia desumsit. Nam nedum quod multae notiones nostrae tales sunt [21]), quae in experientia et sensuali rerum natura plane non existunt, ut notio essendi, substantiae, identitatis, causae; praeterea secundum monadologiae principia statuitur, quamque monadem totum quidem mundum repraesentantem, certo gradu perceptionis instructam iam creari omnesque eius actiones, cum ipsa a nihilo affici possit, manifestationes esse eius ipsius. Quidquid igitur animus, monas dominans hominum, in se continet et per vitam procreat, per Deum creantem ei inditum est.

Veritas est consensus cogitationis nostrae cum re, de qua agitur [22]). Ut ideae innatae, ita dantur quoque innatae veritates. Sitne aliqua veritas innata, ex consensu hominum cognosci non potest [23]), sed opus est, ut talem veritatem non nisi ex nobis ipsis oriri posse demonstremus. Quae veritates nobis innatae sint, huius rei hoc usque non datur schema [24]). Quamvis vero veritates innatae sint, tamen et ipsae ut demonstrentur opera danda est [25]), excepto primitivo illo omnibus haud dubie innato axiomate identitatis vel contradictionis, ad quod si omnes enuntiationes reduxeris, inde haud parum utilitatis ad veritatem adipiscendam redundabit [26]).

Iam vero cum experientia ad veritatis necessitatem nullo modo adducere possit [27]), necessariae veritates, ac quidem non solum primitivae ut enuntiatio identitatis, sed omnes etiam, quae ab illis derivari possunt, innatae putandae sunt [28]); ita totam geometriam esse innatam dicere possumus [29]). Asseri quidem

21) Rasp. pg. 66. 22) Rasp. pg. 363. 23) Rasp. pg. 32.
24) Rasp. pg. 53. 25) Rasp. pg. 31. 26) Rasp. pg. 58.
27) Rasp. pg. 54. 28) Rasp. pg. 34. 29) Rasp. pg. 53.

debet, non realem et distinctam harum veritatum cognitionem nobis innatam esse, sed tantum virtualem [30]), et recte dici potest: nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, nisi intellectus ipse [31]); nos igitur nobis ipsis innati sumus vel quod sumus entia, hoc ipsum esse nobis innatum est [32]).

Hac vero enuntiatione Leibnitius hanc de ideis et veritatibus innatis quaestionem non tam magni esse momenti [33]) concludere poterat. Nam utrumque affirmare licet, vel omnia nobis innata esse vel nihil. Quod humanus animus humanique sensus nobis innata sunt, omnia nobis innata esse dici potest, quod vero homo ipse cogitandi vi veritatem acquirit, nihil quoque ei innatum est.

3. De discrimine, possibilitate et mediis cognitionis.

Inter notiones Leibnitius modo consueto psychologice discernit [34]). Cognitio est vel obscura vel clara, et clara rursus vel confusa vel distincta, et distincta vel inadaequata vel adaequata, item vel symbolica vel intuitiva, et quidem si simul adaequata et intuitiva sit, perfectissima est. Obscura est notio, quae non sufficit ad rem repraesentatam agnoscendam et ab aliis discernendam; clara, si habeo, unde agnoscere possim. Clara notio aut confusa est aut distincta; confusa, cum non possum notas ad rem ab aliis discernendam sufficientes separatim enumerare, licet res illa tales notas atque requisita revera habeat, in quae notio eius resolvi possit; distincta notio est, si notas sufficientes enumerare possum. Datur tamen et cognitio distincta notionis indefinibilis, quando ea est primitiva, sive nota sui ipsius, hoc est cum est irresolubilis et non nisi per se intelligitur atque adeo caret requisitis.

30) Rasp. pg. 34. 31) Rasp. pg. 67. 32) Rasp. pg. 58.
33) Tom. II. p. 1. pg. 219. 34) Tom. II. p. 1. pg. 14—15.

Cum vero id omne, quod notitiam distinctam ingreditur, rursus distincte cognitum est, seu cum analysis ad finem usque producta habetur, cognitio est adaequata. Si vero non totam simul naturam rei intuemur, sed rerum loco signis utimur, notio symbolica est; ubi denique omnes notiones aliam notionem ingredientes cogitare licet, cognitio est intuitiva.

Num quaedam hominis cognitio vere adaequata dici possit, Leibnitius dubitat[35]); et id ipsum, quod mundus, materia, mens a finita mente perfecte comprehendi non possunt, ei argumento est, quo materiam non ex atomis componi probat, sed actu subdividi in infinitum[36]). At potius haec Leibnitii sententia in contrarium vertenda esse videtur, ita quidem: quoniam materia actu in infinitum subdivisa est, nulla cognitio de mundo, materia, mente (quae quidem corpore nobis notior[37]) plane adaequata esse potest.

Cartesianum veritatis congnoscendae principium: quidquid clare et distincte de re aliqua percipio, id verum est, non probandum esse Leibnitius monuit[38]); saepe enim clara et distincta videri hominibus temere iudicantibus, quae obscura et confusa sint. De cetero (ex Leibnitii dictis[39]) non contemnenda veritatis enunciatiationum criteria sunt regulae communis Logicae, quibus et Geometrae utuntur, ut scilicet nihil admittatur pro certo, nisi accurata experientia vel firma demonstratione probatum. Firma autem demonstratio est, quae praescriptam a Logica formam servat, non quasi semper ordinatis scholarum more syllogismis opus sit, sed ita saltem, ut argumentatio concludat vi formae, qualis argumentationis in forma debita conceptae exemplum etiam calculum aliquem legitimum esse dixeris; itaque nec praetermittenda est

---

35) Tom. II. p. 1. pg. 15. 36) Tom. II. p. 1. pg. 290.
37) Tom. II. p. 2. pg. 152. 38) Tom. II. p. 1. pg. 17.
39) Tom. II. p. 1. pg. 17.

aliqua praemissa necessaria et omnes praemissae iam ante vel demonstratae esse debent vel saltem instar hypotheseos assumtae, quo casu et conclusio hypothetica est.

Quam magni Leibnitius logicum demonstrandi modum aestimaverit, ex hoc quoque videri licet, quod magna cum diligentia per calculum combinatorium, quot formae dentur conclusionum, constituit, quarum bis mille quadraginta octo invenit [40]).

4. De principiis cognoscendi.

Non ab experientia vel sensibus mens humana cognitionem acquirit, sed ex sua ipsius natura, ideoque non solum apparentia, sed ipsam rerum essentiam vel, ut Kantii voce utar, ens per se cognoscit. Itaque ut cognitio ad certitudinem evehatur, mens humana ex se ipsa elementa derivare debet, quibus cognitionem necessariam adipiscatur. Haec elementa sunt principia cogitandi, inprimis principium contradictionis et rationis sufficientis, quibus omnia nostra ratiocinia superstructa esse Leibnitius affirmat; quomodo autem haec principia cum monadologia et inter se cohaereant, non demonstravit.

a. De principio contradictionis.

Principium identitatis vel contradictionis principium est primitivum, quam ob rem ex se ipso clarum nullo modo demonstrari potest. Leibnitius per hoc contradictionis principium plures enuntiationes complectitur, quae interdum in Logica discerni solent. Primum enim in hoc principio inest, enuntiationem aliquam non esse posse veram et simul falsam, et ideo A esse A, et non esse posse simul non — A [41]); deinde, cum hanc ob rem unum statui necesse sit, ex duabus propositionibus contradictoriis alteram esse veram,

40) Tom. II. p. 1. pg. 258. 41) Tom. II. p. 1. pg. 113.

alteram falsam [42]), quod principium exclusi tertii dici solet. Ideo denique quaeque res aliam rem a se demovet et repellit, et omne falsum esse statuitur, quod contradictionem involvit, et verum, quod falso opponitur vel contradicit [43]). Principium contradictionis hoc sensu sumtum principium est possibilitatis [44]). Possibilitatem enim rei cognoscimus a priori, cum notionem resolvimus in sua requisita seu in alias notiones cognitae possibilitatis, nihilque in iis incompatibile esse scimus. Quam ob rem quandocunque habetur cognitio adaequata, habetur et cognitio possibilitatis a priori, perducta enim analysi ad finem, si nulla apparet contradictio, utique notio possibilis est. An vero, pergit Leibnitius, unquam ab hominibus perfecta institui possit analysis notionum, sive an ad prima possibilia ac notiones irresolubiles sive (quod eodem redit) ipsa absoluta attributa Dei, nempe causas primas atque ultimam rerum rationem cogitationes suas reducere possint, nunc quidem definire non ausim [45]).

Hac in possibilitate abstracta notionis consistit quoque veritas idearum; vera scilicet notio est, quando est possibilis, falsa quando contradictionem involvit [46]). At hanc possibilitatis notionem probe distinguendam esse Leibnitius iubet a notione compossibilitatis [47]). Nam ut, an aliquid mere possibile sit, cognoscamus, sufficit ut sibi non contradicat, neque ad alias res spectare opus est; ut autem, an aliquid sit compossibile, statui possit, eius rei connexio cum totalitate mundi inspiciatur necesse est. Si quidem possibilitatis notio nullius nisi Dei existentiam postulat, de compossibilitate revera dici potest, nihil esse compossibile, quod neque unquam exstiterit, neque iam existat, neque in posterum exstiturum sit.

42) Tom. II. p. 1. pg. 152.
43) princ. §. 31.
44) Tom. II. p. 1. pg. 17.
45) Tom. II. p. 1. pg. 17.
46) Rasp. pg. 363.
47) Tom. II. p. 1. pg. 325.

Iam ex hoc discrimine inter possibilitatem et compossibilitatem principium illud contradictionis vel possibilitatis minoris ponderis et externae reflexionis esse videre licet. Cum enim ex hoc principio quaeque res tamquam a ceteris separata consideretur, entia non qualia sunt, sed qualia non sunt, spectantur. Quodque enim ens est unum inter multa et cum omnibus ceteris cohaeret; haec autem relatio ad cetera ad hoc ens ipsum pertinet.

Iam vero notionem monadis huic contradictionis principio plane contrariam esse in aperto est. Monas in se continet activitatem et passivitatem, idealitatem et realitatem, est per se una inter infinitas, tamen totalitatem mundi in se complectitur speculumque est totius universi. Quaeque monas in omnium connexu et activa est, quod ceteras percipit, et passiva, quod percipitur; sed haec passivitas in monade ipsa ut activitas inest, nil enim in se habet nisi perceptionem et extrinsecus nil influere potest; perceptio ipsa quoad distincta, activa est, quoad confusa, passiva — est vero eadem perceptio eiusdem monadis.

b. De principio indiscernibilium.

Leibnitius hoc indiscernibilium principium non accipit, ut in Logica fieri solet, ita ut cum quaeque res sibi ipsa aequalis sit, non esse possit alia simul, sed de certo et reali discrimine, affirmans, in tota natura non esse duas res omni ex parte aequales, igitur non solum numero sed qualitate ipsa differre [48]). Duas res sibi plane convenientes existere, id quidem per se sumtum possibile esse iudicat, sed non compossibile, quod sapientiae divinae contradicat, quia, si essent, Deus sine ratione ageret, alteram illarum aequalium rerum aliter quam alteram tractans [49]).

---

48) Tom. II. p. 1. pg. 128. 49) Tom. II. p. 1. pg. 146. 147.

Iam in monadologia quamlibet substantiam ab alia quacunque differre statuerat, quia si hae non differrent, nulla etiam in rebus mutatio observari posset, ita in hoc quoque principio indiscernibilium ad experientiam respicit, et duas aquae guttas per microscopum spectatas nequaquam aequales videri affirmat [50]; magni quoque momenti ei esse videtur, quod saepius narrat, virum aliquem amicum, ut foeminae principi falsam hanc esse de indiscernibilibus sententiam ante oculos poneret, diu operam dedisse, ut duo folia indiscernibilia inveniret, sed frustra eum investigasse. [51]).

c. De principio rationis sufficientis.

Hoc quoque principium, quod in philosophia Leibnitii maximi momenti est, quomodo cum ceteris et cum monadologia cohaereat, philosophus noster non exposuit. Consideramus autem vi huius principii [52]), nullam veram existere enuntiationem, nisi adsit ratio sufficiens, cur potius ita sit quam aliter, quamvis rationes istae saepissime nobis incognitae esse queant. Quando veritas necessaria est, ratio reperiri potest per analysin, dum eam resolvimus in ideas et veritates simplices, donec ad primitivas perventum fuerit. Hoc pacto apud Mathematicos theoremata speculationis et canones praxeos reducuntur per analysin ad definitiones, axiomata et postulata. Et dantur tandem ideae simplices, quarum definitiones dare non licet, dantur etiam axiomata et postulata aut verbo principia primitiva, quae probari nequeunt, nec probatione indigent, atque ista sunt enuntiationes identicae [53]).

His verbis Leibnitius haud dubie non solum iubet, quemque qui aliquid enuntiet, causam huius

50) Tom. II. p. 1. pg. 129. 51) Tom. II. p. 1. pg. 128. Rasp. p. 190. 52) princ. §. 32. 53) princ. §. 33—35.

propositionis habere debere, sed causam ac fundamentum omnium veritatum ideas veritatesque simplices esse statuit; nihil igitur esse sine ratione seu nullam esse veritatem, cuius ab eo, qui perfecte intelligat, ratio reddi non possit, ut scilicet appareat, quomodo ex veritatibus natura prioribus oriatur, si scilicet ipsamet primitiva non sit, quales solae sunt identicae aut illis pares [54]).

Deinde quod attinet ad veritates facti vel res, ex hoc principio nihil unquam evenire concludimus, cuius non existat aliqua causa vel saltem ratio aliqua determinans, hoc est aliquid, quod inservire potest ad reddendam a priori rationem, cur haec res potius existat quam non existat et cur hoc modo potius quam alio quolibet [55]). Leibnitius igitur hoc principium non sumit eo sensu, ut, cum principium contradictionis ad meram nudamque possibilitatem rerum attineat, hoc rationis sufficientis vel determinantis principium in universum ad realem existentiam respiciat. In hoc enim res non tanquam ab omnibus ceteris separatae et secum ipsis identicae spectantur, neque quoad quaeque ab aliis differt, sed identitas et discrimen rerum coniunguntur. Nempe ens quodque non solum per se existit et alia extra se habet, sed unum ens ad aliud se refert et in eo et cum eo existit. Huc pertinere quidem videtur Leibnitii propositio [56]), omnem affectionem omnemque in rebus eventum ex ipsarum natura statuque posse derivari et speciatim quicquid in materia eveniat, ex praecedenti statu materiae per leges mutationum oriri, ita ut praesens status sit gravidus futuri. Status scilicet praesens, qui resultavit ex antecedente, statum sequentem in se iam continet, igitur non solum sibi ipse aequalis est, sed unio est status praesentis et consequentis alius. At hi

54) Tom. II. p. 2. pg. 181. 55) Tom. I. pg. 164.
56) Tom. II. p. 2. pg. 181.

duo status sunt status eiusdem monadis, quod autem unus ex altero resultat, huius rei causa est concreta natura monadis a Deo sic creatae.

Leibnitius vero rationem sensu stricto sufficientem opponit causalitati legibusque mechanicis et efficientibus, et non hasce, sed causas finales rationes sufficientes esse statuit. Locus ex Leibnitio allatus hanc rem luculentius explicabit [57]): Causis internis eventuum corporeorum, materiae scilicet et formae seu massae et entelechiae, accedunt causae externae, nempe efficientes et finales. Et quidem causas efficientes concedunt philosophi omnes, sed finales negant Epicurei et horum sequaces. — Efficientes causae sunt duplicis generis: particulares causae motuum materiae praesentium consistunt in statu praecedente materiae, et in quovis corpore, cum ipsius statu, concurrit ambientium status. Sed quia praecedens status rursus deducendus est ex alio adhuc anteriore, et hic rursus ex anteriore, qui et ipse alio adhuc anteriore indiget; ideo etsi in infinitum procederes, nunquam rationem invenires, quae non rursus ratione reddenda indigeret. Unde sequitur, rationem rerum plenam in particularibus reperiri non posse, sed quaerendam esse in causa generali, ex qua non minus status praesens, quam praecedens, immediate emanat, nempe in auctore universi intelligente, cui haec placuit series rerum prae aliis infinitis, quarum materia capax est. Quia igitur auctor rerum omnia intelligit, ideo omnia agit cum ordine seu ad finem. Itaque duplices itidem oriuntur causae finales, particulares et generales. Particulares apparent inprimis in machinis naturae, seu corporibus viventium organicis, quae sunt machinae divinae inventionis, ad certum genus operationum comparatae, et in nobis quidem ad ratiocinationem exhibendam, habentque illud praeclarum machi-

57) Tom. II. p. 2. pg. 132 sq.

nae divinae super eas, quas nos invenire possumus, quod illae tueri se sibique simile producere possint, quo magis scilicet destinata operatio obtineatur. Licet autem praeter machinas naturae multa videamus opera, quae rudia sunt et ruderibus similia, in quibus non apparent fines speciales, dubium tamen nullum esse debet, Deum auctorem spectantibus, ipsa quoque ad fines speciales (etsi nobis ignotos) exquisitissime ordinata esse et omnia concurrere ad finem generalem, qui est harmonia rerum.

Quam varius huius principii usus sit, postea videamus; huc attinet, ut ad monadologiae speculationes respiciamus. In monadem nil forinsecus influere potest, sed quaeque se tantum ad se refert. Hanc ob causam Leibnitius statuere non potuit, ut solent ex principio rationis sufficientis, unam rem in alia fundari et ab ea mutari, sed quaeque monas sibi ipsa satis est et ex se ipsa statum sequentem evolvit. Cum vero monades, quamvis sint variae inter se, consentiant, hoc ipsae, cum una aliam non afficiat, efficere nequeunt, sed ratio sufficiens huius concordiae est harmonia a Deo praestabilita, qui cum quamque monadem certo cum gradu perceptionis creaverit, cuique, ut ita dicam, confusioni praevenit. Deus igitur est ratio sufficiens existentiae mundi eiusque qualitatis, quae est harmonia. Tota igitur de rebus speculatio in duas quaestiones reducitur; aut quaeritur cur sit, aut cur ita sit. Responsio autem ad has quaestiones in disquisitione consistat oportet, quomodo existentia et qualitas rei cuiusvis cum sapientia divina vel harmonia conveniat, vel quae sit huius rei causa finalis sive sufficiens.

Quam ob rem vere mihi hoc videor esse dicturus, monadologiam principio rationis sufficientis non superstructam esse, sed hoc principium et praestabilitam inter monades harmoniam eandem esse speculationem; eo forsitan discrimine, ut harmonia praesta-

bilita id etiam urgeat, nullam monadem ab alia quacunque tanquam substantiam affici posse.

E. *De Deo et mundo.*

Antea de Deo eiusque ad mundum relatione ea tantum, in quibus Deus ut monas spectabatur, enarravimus, ut quatenus philosophus noster monadologiam exposuerit, facilius videre liceret. In iis, quae praeterea de Deo et mundo a Leibnitio perlustrata sunt, hoc in primis reprobandum est, quod ad monadologiam parum respicitur.

1. De conformitate fidei et rationis[58]).

Ad hanc philosophiae partem pertinere videtur quaestio de concilianda fide et ratione. Leibnitius inde proficiscitur, duas veritates sibi mutuo contradicere non posse[59]); materiam, in qua fides versetur, esse veritatem a Deo modo extraordinario revelatam, et rationem esse catenam veritatum, sed speciatim (si eam cum fide comparaverimus) earum, quas humana mens, nullis adiuta fidei luminibus, nativa vi sua assequi possit[60]). Veritates rationis duplicis sunt generis, aliae appellantur veritates aeternae et hae sunt absolute necessariae, ita ut oppositum involvat contradictionem, cuiusmodi sunt veritates eae, quae necessitatem habent logicam, metaphysicam et geometricam, ut is, qui eas negaverit, ad absurdum redigi queat. Aliae vocari possunt positivae, quoniam ferunt leges, quas indere naturae Deo placuit, vel saltem ab his dependent. Nos quidem has discimus vel per experientiam, hoc est a posteriori, vel per rationem et a priori, dum nempe convenientiam, ob quam illae sunt electae, gnaviter excutimus. Haec convenientia suas quoque regulas ac rationes habet, sed electione Dei libera, non necessitate geometrica

58) Tom. I. pg. 60 sq. 59) Tom. I. pg. 64. 60) Tom. I. pg. 64.

fit, ut quod magis convenit, opposito praeferatur et ad existentiam promoveatur. Itaque dici potest, necessitatem physicam fundari in necessitate morali, hoc est, in sapientis electione, quae sua sapientia digna est, et sic utramque distingui debere a necessitate geometrica. Haec physica necessitas facit ordinem naturae et sita est in regulis motus atque aliis quibusdam legibus generalibus, quas Deo rebus indere placuit. Verum igitur est, Deum illas non sine ratione sanxisse, neque enim quidquam temere aut forte vel pura puta cum indifferentia eligit, sed possunt tamen generales boni atque ordinis rationes, quibus ad seriem illam eligendam permotus est, quandoque potioribus ordinis superioris rationibus vinci [61]).

Patet ex his, Deum res creatas legibus, quas ipsis praescripsit, exsolvere posse, in iisque aliquid producere, quod illarum natura non ferat, faciendo miraculum. Fieri quidem miracula possunt, quae Deus patrat ministerio angelorum, ubi naturae leges non magis violantur, quam si naturam arte iuvant homines, cum artificium angelorum a nostro non differat, nisi perfectionis gradu; interim tamen semper verum manet, naturae leges dispensationi legislatoris subiectas esse, cum contra veritates aeternae, quales sunt geometricae, omnem plane exceptionem excludant, nec fides iis adversari possit [62]). —

Cum illo discrimine inter duo necessitatis genera congruit usitata distinctio inter ea, quae sunt supra rationem, et ea, quae sunt contra rationem [63]). Nam id, quod contra rationem est, veritatibus absolute certis et omni exceptione maioribus adversatur; at id, quod supra rationem est, cum iis tantum pugnat, quae experiri aut intelligere consuevimus. Quare miror, ait Leibnitius, dari nonnullos haudquaquam obesae naris homines, qui hanc distinctionem impugnare

61) Tom. I. pg. 66. 62) Tom. I. pg. 66. 63) Tom. I. pg. 81.

non dubitent. Veritas supra rationem est, quae a nostra mente (immo ab ulla mente creata) comprehendi nequit; huiusque ordinis est sancta trinitas et miracula soli Deo propria, veluti creatio, item electio ordinis universi, ab harmonia universali ac distincta rerum simul infinitarum cognitione dependens. At veritas nulla unquam contra rationem esse potest, et dogma, a ratione expugnatum et devictum, incomprehensibile adeo non est, ut potius eius absurditas comprehendi atque evidentissima esse dicenda sit [64]).

At interest inter explicare, comprehendere, probare, tueri [65]). Mysteria explicari possunt, quantum ad credenda ea satis est, at comprehendi non possunt, nec intelligi, quo pacto existant. Neque mysteria probare ratione possumus; quidquid enim a priore sive ratione pura probari potest, potest et comprehendi. Itaque postquam probationibus veritatem religionis evincentibus, motivis nempe credibilitatis, impulsi mysteriis adsensum praebuimus, solum nobis restat, ut adversus obiectiones illa tueri valeamus, quod nisi possumus, nec credere illa satis tutum erit; quidquid enim ratione solida et demonstrationis vi gaudente convelli potest, non potest non esse falsum; adhaec motiva credibilitatis, non nisi moralem gignentia certitudinem, aequarentur, immo vincerentur obiectionibus, quae si evidentes prorsus et demonstrativae forent, omnimodam absolutamque certitudinem adferrent.

De mysteriis igitur sufficit nobis aliquatenus scire quid est?, sed quomodo? neque scimus, neque nobis est scitu necessarium [66]), vel sufficit nos habere intelligentiam aliquam analogicam mysterii [67]). Si vero rationis obiectiones contra quempiam fidei articulum sunt insolubiles, ita ut contradictionem involvat, dicendum erit, iactatum hunc articulum esse falsum,

64) Tom. I. pg. 82. 65) Tom. I. pg. 67. 66) Tom. I. pg. 98. 67) Tom. I. pg. 97.

nequaquam revelatum, esse humanae mentis commentum [68]). Si vero mysteria nullam continent contradictionem vel si nil iis inest absurdi, non sunt contra rationem, quamquam ea comprehendi non possunt, sed explicari tantum; sed sunt supra rationem, quia continent veritates in ea catena non comprehensas [69]); non autem desperandum est, nos forsitan iam in hac vita ad comprehendendum illud quomodo? venturos esse [70]).

Hanc fidei cum ratione conformitatem formalem esse vel potius optatam tantum, facile apparet. Si quidem dantur veritates supra rationem, illa conformitas subiectiva adhuc est, et dici tantum potest, in illo uno homine rationem fidei non contradicere, scilicet quod fidem habet, et dogmata religionis, incomprehensa quoque, ut veritates necessarias vel auctoritate vel iudicio interno ductus accepit. Quod vero rationem catenam esse aeternarum veritatum et veritates fidei, cognitione nondum perceptas, in ea catena adhuc non comprehendi Leibnitius statuit, ex hac sententia rectum hunc sensum elicere possis, tunc demum rationem et fidem vere conformem esse, quando veritates positivae fidei ut necessariae comprehensae sint, et prima veritas religionis prima quoque sit rationis et philosophiae, tuncque ad religionem christianam amplectendam non auctoritate ducimur, sed veritate, quae sui ipsius iudex est. Quod vero Leibnitius dicit, rationem fidei ancillari [71]), verum quidem est, si ratio explicat tantum mysteria fidei, non comprehendit.

Leibnitius ipse nonnulla fidei dogmata principiis adiuvantibus non solum explicat, sed comprehendit quoque. Iam mentionem fecimus eius de immortalitate ex monadologia explicatae sententiae; alio loco

68) Tom. I. pg. 91. 69) Tom. I. pg. 103. 70) Tom. I. pg. 104. 115.
71) Tom. I. pg. 123.

propius etiam ad doctrinam ecclesiasticam accedere videtur, ubi, quamquam alibi per miraculum quidem a Deo animam constitui posse extra corpus affirmat[72]), sed hoc non convenire ordini rerum, ex quo quaeque anima semper coniuncta sit cum corpore organico, haec tamen leguntur[73]): De statu animae humanae separatae nihil certi definire possum, cum praeter regnum naturae hic influat regnum gratiae. Cur autem certa materia secunda ipsi affigatur usque ad resurrectionem, causam nullam video.'

Praeterea transsubstantiatio quoque quomodo possibilis sit, comprehendere Leibnitius studebat. Hanc explicari posse putat[74]), retentis monadibus, sed vinculo substantiali corporis Christi ad monades panis et vini substantialiter uniendas a Deo adhibito, destructis autem priore vinculo substantiali et cum eo ipsius modificationibus seu accidentibus. 'Ita, pergit, sola supererunt phaenomena monadum panis et vini, quae futura fuissent, si nullum vinculum substantiale horum monadibus a Deo additum fuisset. Etsi autem panis vel vinum non sit substantiatum, constituens unum per se, nec proinde uno vinculo substantiali connectatur, est tamen aggregatum ex corporibus organicis seu substantiatis, constituentibus unum per se, quorum vincula substantialia tollerentur et a vinculo substantiali corporis Christi supplerentur. Cum dicitur: hoc est corpus, tunc admissis substantiis compositis, non monades designantur, vel per hoc vel per corpus, sed substantiatum per vincula substantialia ortum seu compositum.

2. Demonstrationes de existentia Dei.

a. Demonstratio ontologica.

Deus est ens a se, causa sui solusque hoc privilegio gaudet, quod necessario existat, si possibilis est[75]);

72) Tom. II. p. 1. pg. 286. 73) Tom. II. p. 1. pg. 276.
74) Tom. II. p. 1. pg. 302. 75) princ. §. 45.

possibilitatis vero demonstratio addenda est argumento a Cartesio proposito, ut plenam habeat et mathematicam certitudinem [76]). Nihil autem Dei possibilitatem impedit, quod limitum expers nec ullam negationem nec contradictionem involvit [77]); realitates nempe, quas omnes Deus in se continet, perfectiones sunt sine ulla negatione.

Videamus primum, num defectus ontologicae demonstrationis iis, quae adiecit Leibnitius, sublatus sit. Deus possibilis est ex eius sensu, quod continet omnes realitates, quae nullam involvunt contradictionem. Ut igitur Anselmus et Cartesius ab idea Dei ad eius existentiam concludunt, quod idea Dei existentiam ut perfectionem complectatur, ita Leibnitius similiter ab idea Dei eius possibilitatem derivat. Itaque ut in illa demonstratione Cartesiana idea Dei neque minus eius existentia, quippe quae ipsi ideae insit, praesumitur, Leibnitius cum idea Dei possibilitatem quoque, quam demonstrare vult, praesumit. — Deinde autem quod attinet ad demonstrationem Dei possibilitatis, primum annotandum est, realitatem, quae sensu ita dicto eminenti ut absoluta et infinita sumitur, omni distincta significatione ac vi privari. Si bonitas Dei non est bonitas sensu consueto, sed sensu eminenti, si non differt a iustitia, sed ab ea temperatur, neque minus iustitia temperatur a bonitate, non amplius bonitas bona neque iustitia iusta est; et ita Deus complexio omnium realitatum fit vacuum quoddam. Deinde vero realitates sensu distincto et determinato sumtas haud dubie sibi contradicere apparet. — Deus absolute benignus non esse potest absolute iustissimus, et ita Deus non solum omnes realitates continet, sed (ex vera Spinozae sententia, omnem determinationem esse negationem) fit idem complexio omnium negationum.

---

76) Raspe pg. 404. 77) princ. §. 45.

b. Demonstrationes cosmologicae.

Illi ontologicae demonstrationi quoad formam cosmologicae oppositae sunt; nam si illa a notione Dei ad eius existentiam concludit, hae ab existentia rerum finitarum exeuntes, quod finitae et contingentes sint, ens necessarium existere postulant. Huiusmodi argumentationes permultae esse possunt, quod a variis rebus contingentibus homines ad Deum se elevant; ita Leibnitius quoque variis demonstrandi modis utitur[78]).

1) Res contingentes sunt, itaque rationem ultimam seu sufficientem habere nequeunt, nisi in ente necessario, quod rationem existentiae suae in se ipso habet[79]). In Deo ente necessario scilicet haec contingentia mundi ipsa tollitur, quod in Deo omnia praestabilita sunt. At hoc in argumento cum contingentia mundi ens necessarium, cuius existentia adhuc demonstranda erat, praesumi apparet.

2) Simile vitium inest, quod Leibnitius qualitatem substantiae creatae magis urgens, demonstrationem physicotheologicam, quae practicam tantum habuerit certitudinem, per suam praestabilitam harmoniam ad metaphysicam certitudinem perductam esse censet[80]). Cum enim, inquit, secundum harmoniam praestabilitam quaeque substantia, quamquam nihil forinsecus in eam influit, tamen ex sua propria natura omnia extra se repraesentet, causam universalem et absolutam existere necesse est, qua substantiae creatae hanc naturam accipientes inter se concordent. At ita vere ob harmoniam a Deo praestabilitam Deum existere concluditur. Nam siquidem substantias et existentiam essentiamque neque a se neque ab alio ente finito accipere constat, quod inest sententiae

78) Tom. I. pg. 6—8. pg. 865. 79) princ. §. 46.
80) Rasp. pg. 407.

harmoniae praestabilitae, iam Deum fontem existentiae et essentiae existere Leibnitius praesumit.

3) Deinde Leibnitius existentiam Dei ex realitate veritatum aeternarum demonstrat. Verum est, inquit[81]), in Deo non modo esse fontem existentiarum, verum etiam essentiarum, quatenus reales sunt aut eius quod in possibilitate reale est. Propterea intellectus Dei est regio veritatum aeternarum aut idearum, unde dependent, et sine ipso nihil realitatis foret in possibilibus, et nihil non modo existeret, sed nihil etiam possibile foret. Etenim opus est, ut si quid realitatis in essentiis aut possibilitatibus aut potius in veritatibus aeternis fuerit, haec realitas fundetur in aliqua re existente et actuali et consequenter in existentia entis necessarii, in quo essentia includit existentiam, aut in quo sufficit esse possibile, ut sit actuale. — Similiter Cartesius proposuit, realitatem obiectivam idearum nostrarum requirere causam, in qua eadem ipsa realitas non tantum obiective, sed formaliter vel eminenter contineatur. Illa vero Leibnitii demonstratio ab antecedente non ita multum differre videtur. Ideae, quarum veritas in earum possibilitate consistit, nobis insunt; cum vero substantiam creatam has possibilitates nec a se nec ab aliis finitis desumere posse constet, Deum fontem essentiarum et possibilitatum existere necesse est.

Iam huc non pertinet, multis ostendere, cur omnes hae variae demonstrandi rationes nil sint nisi subiectivae, sed necessariae ad Deum elevationes, et cur in universum consueta logica concludendi ratio non sufficiat ad Deum cognoscendum — satis est exposuisse, quae Leibnitius hac de re proposuerit.

3. Attributa Dei et Theodicaea.

In universum dici debet, Deum per attributa enumerata et explicata non posse cognosci. Nam at-

81) princ. §. 43—44.

tributa Dei non sunt eius relationes ad se ipsum, sed relationes ad mundum, quare ipsa haec attributa finita sunt, quae si in infinitum producuntur, vel distinctae esse desinunt, vel necessario sibi contradicunt.

Quod deinde attinet ad Leibnitii theodicaeam, ad monadologiae principia respiciendum est. Secundum haec nulla monas in ceteras influxum habet, sed quaeque ex sua ipsius natura agit; Deus autem totum ordinans ad unamquamque monadem respexit, et ob hanc adaptationem rerum omnium creatarum ad unamquamque, quaelibet substantia simplex habet respectus, quibus exprimuntur ceterae omnes. Haec vero concordia inter omnes substantias et creaturas est concordia tendens ad unum eundemque finem, et ratio sufficiens adest, cur hicce mundus existat, quae est, quod illum finem perfecte exprimit; ita cuiusque quoque singularis rei existentia et qualitas rationem habet sufficientem vel causam finalem. Perpetua etiam et perfecta harmonia est inter causas efficientes et causas finales, itidem inter regnum physicum et regnum morale. At profecto his sententiis non omnes facile consentiunt, quin sunt, qui infinitorum malorum observatione ducti hunc mundum a diabolo ipso creatum esse contenderint. Superest igitur, ut Leibnitius sententiam suam amplius demonstret oppositionibusque respondeat, quod fit, si cuiusvis rei, imperfectae potissimum per se ratio sufficiens reperitur, qua omni rerum harmoniae et fini non solum non contradicat, sed plane cum ea consentiat. Hoc quidem est problema theodicaeae, quae inde explanatio principii rationis sufficientis vel hypotheseos harmoniae praestabilitae dici potest.

Si deinde in universum attendimus ad finem mundi a Leibnitio propositum — primum ex principio rationis sufficientis quaerendum est, cur potius mundus existat, quam non existat; deinde cur ita, non

aliter, vel cur sit mundus existens optimus[82]). Leibnitius hac in re contra Baelium disputat[83]), qui proposuerat, Deum perfectiones suas patefacere non voluisse, nisi ut humanum creaturarum genus in cognitione, admiratione et amore entis supremi suam felicitatem reperiret. Concedit quidem Leibnitius, creaturarum intelligentium felicitatem esse praecipuam divinorum consiliorum partem, at se non videre dicit, qua ratione probari possit, hunc unicum eius scopum fuisse. Verum quidem est, pergit, quod regnum naturae servire debeat regno gratiae, sed cum omnia in magno Dei consilio colligata sint, credendum est, regnum gratiae vicissim quodammodo regno naturae accommodatum fuisse, ita ut hoc quidem ordinem decoremque maximum servet, quo compositum ex utroque perfectissimum evadat. Certo, inquit[84]), cum Deus Ionae prophetae rationem concessae Ninivitis veniae redderet, ipsorum etiam brutorum, magnae illius urbis eversioni involvendorum, commoda commemoravit. Hanc vero sententiam male profecto his verbis defendit[85]): „Si creaturarum rationalium felicitas unicus foret Dei scopus, neque peccatum forte neque aerumna, ne concomitanter quidem, contingerent; Deus seriem possibilium elegisset cuncta ista mala excludentem. At sic Deus illi deesset, quod universo debetur, hoc est illi, quod sibimet ipsi debet."

Si deinde finem generalem mundi harmoniam esse iudicat[86]), et hunc scopum esse, in quem omnes singulares innumeri reducantur, hoc idem significat, quam, quod alibi proponit, omnia omnium causa facta esse[87]). Haec vero sententia cum monadologia intime cohaerere videtur, ex qua quaeque monas omnia percipit totumque mundum in se continet, et ne una quidem aliter se habere potest, quod respectu

82) Tom. II. p. 1. pg. 35. 83) Tom. I. pg. 209.
84) Tom. I. pg. 209. 85) Tom. I. pg. 213.
86) Tom. II. p. 2. pg. 133. 87) Tom. II. p. 2. pg. 157.

ad totalitatem ita creata est. Si autem omnia omnium causa facta sunt, semper restat quaestio, cur in universum aliquid factum sit. Qua de re haec apud Leibnitium legimus [88]): „Tous les possibles prétendant à l'existence dans l'entendement de Dieu à proportion de leurs perfections, le résultat de toutes ces prétentions doit être le monde actuel le plus parfait qui soit possible." Ex his dictis, quibus Leibnitius non amplius utitur ad explicandam inter Deum et mundum relationem, Deus ut monas mundum in se complectitur, hic enim est eius idea. Si igitur mundum creat, se ipsum manifestat; at mundus non est Deus, hic enim est supramundanus — ita igitur Deus aliud sui ipsius in se continet. Sed quamquam mundus non est Deus, tamen ad eum redit, nam homo cognoscit Deum vel Deus in homine se ipsum cognoscit. Omnes, inquit Leibnitius ipse [89]), spiritus constituunt civitatem Dei, hoc est, regnum omnium perfectissimum sub perfectissimo monarcha. Haec civitas Dei, haec monarchia vere universalis est mundus moralis in mundo naturali, et id maxime sublime atque divinum est in operibus Dei, atque in hoc revera gloria Dei consistit, quoniam nulla daretur, nisi magnitudo et bonitas eius a spiritibus cognosceretur ipsisque admirationi esset. — Ad quaestionem igitur, cur Deus mundum creaverit, respondere licet, ut se ipsum manifestet et cognoscatur; hoc autem manifestare et cognosci ad essentiam Dei ipsius pertinet.

At cum Leibnitius infinitos esse possibiles mundos statuerit, eum hunc mundum optimum omnium esse ostendere oportet, quod non aliter fieri potest, quam comparatione omnium mundorum. Quia autem de ceteris mundis possibilibus nil scit, nisi eos non existere, ad observandum hunc mundum restringitur; vel ob

---

88) Tom. II. p. 1. pg. 36. 89) princ. §. 88—89.

ioc ipsum, quod Deus ex sapientia sua et bonitate nunc mundum prae ceteris ad existentiam provocaverit, optimum eum esse concludit. Quod cum religioso tantum homini satisfacere possit, reliquum adhuc est, ut demonstretur, ea quae huic propositioni forsitan contradicere videantur, cum bonitate et mundi et Dei stare posse. Qua in demonstratione partim multa sunt externae reflexionis, cum adhibito praecipue principio contradictionis, ex quo quodvis possibile est, quod contradictionem non involvit, multa possibilia inveniuntur, quae mala mundi resarcire possint, partim si modo speculativo ea, quae repugnare videntur Dei mundique bonitati, necessaria esse ad mundi existentiam demonstrantur, isti sententiae, infinitos mundos possibiles esse, contradicitur. Ita cum haec quaestio, cur mundus bonus sit, problema vere philosophicum dici possit, quod postulat, ut cognoscatur, mundum vere manifestationem esse Dei vel rationem esse in mundo, tamen placitum de infinitis mundis possibilibus, quorum optimus hic sit, aeque vanum est, ac discrimen inter possibilia et compossibilia.

Quod attinet ad formam theodicaeae Leibnitianae, tota disputatio est maxime popularis, et, praesertim cum tam multam operam det, ut alios refellat, mira inest prolixitas, et ut auctorem ipsum contra Baelium dicentem tadet paene eadem refutare idemque semper ingerere [90]), sic nos quoque semper eadem legentes taedere non mirum est.

Tota theodicaea in parva scriptiuncula continetur, quae inscribitur [91]): Causa Dei adserta per iustitiam eius cum ceteris eius perfectionibus cunctisque actionibus conciliatam. Iam ex hoc potissimum libello, qui concisione et distincta brevitate prae ceteris Leibnitii scriptis excellit, ea enarremus, quae Leib-

90) Tom. I. pg. 217. 222. 91) Tom. I. pg. 470 sq.

nitius de attributis Dei atque theodicaea proposuerit ex aliis libris supplentes, quae ad rem pertinere videntur.

a. De perfectionibus Dei in universum.

Datur in Deo potentia, quae est fons omnium, deinde cognitio, quae continet idearum schema, et tandem voluntas, quae mutationes efficit seu productiones secundum principium melioris [92]). Leibnitius non improbat [93]), quod in his tribus Dei perfectionibus complures crediderunt, arcanum ad sacrosanctam trinitatem respectum latere; atque potentiam ad patrem, hoc est fontem divinitatis referri, sapientiam ad verbum aeternum, quod a Iohanne λόγος appellatur, voluntatem denique sive amorem ad spiritum sanctum. Ceterum trinitatis mysterium supra rationem esse et a nostra mente (immo ab ulla mente creata) comprehendi non posse contendit [94]). Ut vero hoc dogma acceptius reddat, comparat cum eo reflexionem mentis humanae, quando una eademque mens, de se ipsa et actione sua cogitans, sui ipsius immediatum est obiectum. Hic enim similis duplicatio quaedam in una eademque substantia existit et quodque horum entium singularium substantiale est et individuum concretum, eaque differunt quidem per relationes suas mutuas, sunt tamen una eademque substantia individualis absoluta [95]). Attamen exemplum huic personarum divinarum plane congruens in natura rerum non invenitur; hoc vero nequaquam necessarium est et sufficit trinitatis dogmati nullam inesse contradictionem vel absurditatem, nam „la substance divine a sans doute des privilèges, qui passent toutes les autres substances" [96]).

92) princ. §. 49. 93) Tom. I. pg. 241.
94) Tom. I. pg. 81. 95) Tom. I. pg. 27.
96) Tom. I. pg. 26.

a. Potentia.

Omnipotentia complectitur tum Dei independentiam ab aliis, tum omnium dependentiam ab ipso.

Independentia Dei.

Independentia Dei in existendo elucet et in agendo. Et quidem in existendo, dum necessarius est et aeternus et ens a se, unde etiam consequens est immensum eum esse. In agendo independens est naturaliter et moraliter; naturaliter, dum est liberrimus, nec nisi a se ipso determinatur, moraliter vero, dum est ἀνυπεύθυνος seu superiorem non habet.

Dependentia rerum a Deo.

Dependentia rerum a Deo extenditur tum ad omnia possibilia seu quae non implicant contradictionem, tum etiam ad omnia actualia. Ipsa rerum possibilitas cum actu non existant, realitatem habet fundatam in divina existentia; nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret, et possibilia ab aeterno sunt in ideis divini intellectus. Actualia dependent a Deo tum in existendo tum in agendo, nec tantum ab intellectu eius, sed etiam a voluntate. Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo libere sunt creatae atque etiam a Deo conservantur, neque male docetur, conservationem divinam esse continuatam creationem, ut radius continuo a sole prodit, etsi creaturae neque ex Dei essentia neque necessario promanent. — In agendo res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit, quatenus inest actionibus aliquid perfectionis, quae utique a Deo manare debet. Concursus autem Dei (etiam ordinarius seu non miraculosus) simul et immediatus est et specialis. Et quidem immediatus, quoniam effectus non ideo tantum a Deo dependet, quia causa eius a Deo orta est, sed etiam quia Deus non minus neque remotius in ipso effectu producendo concurrit, quam in producenda

ipsius causa. Specialis vero est concursus, quia no tantum ad existentiam rei actusque dirigitur, sed ad existendi modum et qualitates, quatenus aliqui perfectionis illis inest, quod semper a Deo proflui patre luminum omnisque boni datore [97]).

β. Scientia Dei.

Haec cum sit perfectissima, complectitur omnem ideam et omnem veritatem, id est, omnia tam incomplexa quam complexa, quae obiectum intellectus ess possunt, et versatur itidem tam circa possibilia quam actualia.

Scientia simplicis intelligentiae.

Possibilium est, quae vocatur scientia simplicis intelligentiae, quae versatur tam in rebus quam in earum connexionibus, et utraeque sunt tam necessariae quam contingentes. Possibilia contingentia spectari possunt tum ut seiuncta, tum ut coordinata in integros mundos possibiles infinitos, quorum quilibet Deo est perfecte cognitus, etsi ex illis non nisi unicus ad existentiam perducatur; neque enim plures mundos actuales fingi ad rem facit, cum unus nobis totam universitatem creaturarum cuiuscunque loci et temporis complectatur [98]).

Scientia visionis.

Scientia actualium seu mundi ad existentiam perducti et omnium in eo praeteritorum, praesentium et futurorum, vocatur scientia visionis, nec differt a scientia simplicis intelligentiae huius ipsius mundi spectati ut possibilis, quam quod accedit cognitio reflexiva, qua Deus novit suum decretum de ipso ad existentiam perducendo [99]).

---

97) Tom. I. causa Dei §. 4—12.
98) Tom. I. causa Dei §. 13—15.
99) Tom. I. causa Dei §. 16.

Scientia media.

Scientia vulgo dicta media sub scientia simplicis intelligentiae comprehenditur, eo quem exposuimus sensu. Si quis tamen scientiam aliquam mediam velit inter scientiam simplicis intelligentiae et scientiam visionis, poterit et illam et mediam aliter concipere, quam vulgo solent, scilicet ut media non tantum de futuris sub conditione, sed in universum de possibilibus contingentibus accipiatur. Ita scientia simplicis intelligentiae restrictius sumetur, nempe ut agat de veritatibus possibilibus et necessariis, scientia media de veritatibus contingentibus et actualibus; et media cum prima commune habebit, quod de veritatibus possibilibus agat, cum postrema, quod de contingentibus [100]).

γ. Voluntas Dei.

Perfectio voluntatis est bonitas. Et omnis quidem voluntas bonum habet pro obiecto, saltem adparens, at divina voluntas non nisi bonum, simul et verum. Spectabimus ergo et voluntatem et obiectum eius, nempe bonum et malum, quod rationem praebet volendi et nolendi; in voluntate spectabimus et naturam eius et species [1]).

Libertas voluntatis divinae.

Ad voluntatis naturam requiritur libertas, quae consistit in eo, ut actio voluntaria sit spontanea ac deliberata, atque adeo ut excludat necessitatem, quae deliberationem tollit. Necessitas excluditur metaphysica, cuius oppositum est impossibile seu implicat contradictionem, sed non moralis, cuius oppositum est inconveniens. Etsi enim Deus non possit errare in eligendo adeoque eligat semper, quod est maxime conveniens, hoc tamen adeo non obstat, ut voluntatem

---

100) Tom. I. causa Dei §. 17. 1) Tom. I. causa Dei §. 18—19.

potius maxime perfectam reddat. Obstaret, si non nisi unum foret voluntatis obiectum possibile seu si una tantum possibilis rerum facies fuisset, quo casu cessaret electio nec sapientia bonitasque agentis laudari posset; itaque errant, aut certe incommode admodum loquuntur, qui ea tantum possibilia dicunt, quae actu fiunt seu quae Deus elegit [2]).

Voluntas antecedens et consequens.

Voluntas antecedens vel inclinatoria omnino seria est et pura, non confundenda cum velleitate (ubi quis vellet, si posset velletque posse), quae in Deum non cadit, nec cum voluntate conditionali, de qua hic non agitur. Tendit autem voluntas antecedens in Deo ad procurandum omne bonum et ad repellendum omne malum, quatenus talia sunt et proportione gradus, quo bona malave sunt. Quam seria autem haec voluntas sit, Deus ipse declaravit, cum tanta adservatione dixit, se nolle mortem peccatoris, velle omnes salvos, odisse peccatum. — Voluntas consequens oritur ex omnium voluntatum antecedentium concursu, ut scilicet, quando omnium effectus simul stare non possunt, obtineatur inde quantus maximus effectus per sapientiam et potentiam obtineri potest [3]).

Voluntas productiva et permissiva.

Posterior voluntatis divisio est in productivam circa proprios actus et permissivam circa alienos. Quaedam enim interdum permittere licet (i. e. non impedire) quae facere non licet, velut peccata; et permissivae voluntatis obiectum proprium non id est, quod permittitur, sed permissio ipsa [4]).

De ratione volendi seu de bono et malo.

Quod deinde attinet ad rationem volendi seu ad bonum et malum, utrumque triplex est, metaphysi-

2) Tom. I. causa Dei §. 20—22. 3) ibid. §. 24—26. 4) ibid. §. 28.

cum, physicum et morale. Metaphysicum generatim consistit in rerum etiam non intelligentium perfectione vel imperfectione. Physicum accipitur speciatim de substantiarum intelligentium commodis et incommodis, quo pertinet malum poenae; morale de earum actionibus virtuosis et vitiosis, quo pertinet malum culpae.

Deus vult bona per se, antecedenter ad minimum, nempe tam rerum perfectiones in universum, quam speciatim substantiarum intelligentium omnium felicitatem et virtutem et unumquodque bonorum pro gradu suae bonitatis. Mala etsi non cadant in voluntatem Dei antecedentem, nisi quatenus ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, sed indirecte, in consequentem, quia interdum maiora bona ipsis remotis obtineri non possunt, quo casu remotio malorum non plane perducitur ad effectum, et consistens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in consequentem. Mala metaphysica et physica interdum fiunt bona subsidiata tanquam media ad maiora bona, at malum morale seu malum culpae nunquam rationem medii habet, neque enim facienda sunt mala ut eveniant bona, sed interdum tamen rationem habet conditionis, quam vocant, sine qua non, sive colligati et concomitantis i. e. sine quo bonum debitum obtineri nequit; sub bono autem debito etiam privatio mali debita continetur. Malum autem admittitur non ex principio necessitatis absolutae, sed ex principio convenientiae. Rationem enim esse oportet, cur Deus malum permittat potius quam non permittat, ratio autem divinae voluntatis non nisi a bono sumi potest[5]).

b. De regimine Dei vel Theodicaea.

Duas in classes difficultates circa Dei regimen dividi possunt. Aliae profluunt ex hominis libertate,

5) Tom. I. causa Dei §. 29—36.

quae cum natura divina stare non posse videtur et tamen libertas censetur necessaria, ut homo culpae reus poenaque dignus iudicari possit. Aliae divinam agendi rationem spectant videnturque Deum ad mali existentiam nimium conferentem arguere, etiamsi homo liber esset, inque eo suas quoque partes haberet. Atque haec agendi ratio providentiae, iustitiae et sanctitati divinae videtur adversari [6]).

Antea de potentia, scientia et bonitate separatim dictum est; in providentia, iustitia et sanctitate illae perfectiones coniunctae sunt. Et cum bonitas referatur vel ad creaturas in universum vel speciatim ad intelligentes, priore modo cum omnipotentia et omniscientia constituit providentiam in universo creando et gubernando, posteriore modo iustitiam in regendis speciatim substantiis ratione praeditis [7]).

α. De providentia.

Quia bonitatem Dei in creaturis sese generatim exerentem dirigit sapientia, consequens est, providentiam divinam sese ostendere in tota serie universi, dicendumque, Deum ex infinitis possibilibus seriebus rerum elegisse optimum eamque adeo esse hanc ipsam, quae actu existit. Omnia enim in universo sunt harmonica inter se pulcherrimeque conspirant: causae finales seu animae cum causis materialibus seu corporibus, causae efficientes seu naturales cum finalibus seu moralibus, regnum gratiae cum regno naturae. Et proinde, quotiescunque aliquid incomprehensibile videtur in operibus Dei, iudicandum est, id nobis non satis nosci, et sapientem, qui intelligeret, iudicaturum, ne optari quidem posse meliora [8]).

β. De iustitia.

Porro bonitas relata speciatim ad creaturas intelligentes cum sapientiâ coniuncta iustitiam constituit,

6) Tom. I. pg. 123. 7) Tom. I. causa Dei §. 40.
8) ibid. §. 41. 46. 47.

cuius summus gradus est sanctitas. Discerni autem ita potest, ut iustitia versetur circa bonum malumque physicum, aliorum nempe intelligentium, sanctitas autem circa bonum malumque morale. Bona malaque physica eveniunt tam in hac vita quam in futura. In hac vita multi queruntur, quod humana natura tot malis exposita sit et deinde, quod bona malaque physica non sint distributa secundum bona malaque moralia. Ad has querelas respondendum est, afflictiones non tantum in postera vita large compensatum iri, sed etiam inservire ad felicitatis augmentum. Circa futuram vitam gravior adhuc est difficultas, quod obiicitur, ibi quoque bona vinci a malis, quia pauci sunt electi. Respondendum est, totam amplitudinem regni coelestis non esse ex nostra cognitione aestimandam; nam tanta esse potest beatorum per divinam visionem gloria, ut mala damnatorum omnium comparari huic bono non possint et angelos bonos incredibili multitudine agnoscit scriptura, et nihil prohibet, regionem trans soles habitari felicibus creaturis [9]).

γ. De sanctitate Dei.

Gravissimae tandem sunt difficultates circa sanctitatem Dei, seu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relatam. Obiicitur nempe, Deum nimis concurrere ad peccatum, hominem non satis [10]).

De origine mali.

Respondendum est, nihil quidem perfectionis et realitatis pure positivae esse in creaturis earumque actibus bonis malisque, quod non Deo debeatur, sed imperfectionem actus in privatione consistere et oriri ab originali limitatione creaturarum, quam iam tum in statu purae possibilitatis (i. e. in regione veritatum

---

9) Tom. I. causa Dei §. 50—58. 10) ibid. §. 60—61.

aeternarum seu ideis divino intellectui obversantibus) habent ex essentia sua; nam quod limitatione careret, non creatura, sed Deus foret. Limitata autem dicitur creatura, quia limites seu terminos suae magnitudinis, potentiae, scientiae et cuiuscunque perfectionis habet. Ita fundamentum mali est necessarium; sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est, ut mala sint possibilia, et contingens est, ut mala actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia transit ad actum, ob convenientiam cum optima rerum serie, cuius partem facit. Ita bona erunt a divino vigore, mala a torpore creaturae [11]).

De corruptione humana.

Quod autem hominem concurrere non satis ad peccata, adeoque non ita culpabilem dicunt esse, corruptio humana consideranda est; quae orta est tum a lapsu protoplastorum, tum a contagii propagatione; causa lapsus, uti iam dictum, in imperfectione inest creaturarum originali, eumque velut physico nexu consecuta est peccaminositas. Propagatio contagii non videbitur commodius explicari posse, quam statuendo, animas posterorum in Adamo iam fuisse infectas. Quod ut intelligatur rectius, sciendum est ex recentiorum observatis rationibusque apparere, animalium et plantarum formationem non prodire ex massa quadam confusa, sed ex corpore iam nonnihil praeformato in semine latente et dudum animato. Unde consequens est, vi benedictionis divinae et primaevae omnium viventium rudimenta quaedam organica (et pro animalibus quidem animalium, licet imperfectorum, forma) animasque quodammodo ipsas dudum in protoplasto cuiusque generis exstitisse, quae sub tempore omnia evolverentur. Sed animas animantiaque seminum humanis corporibus destinatorum, cum cae-

11) Tom. I. causa Dei §. 69. 72.

teris animalculis seminalibus talem destinationem non habentibus, intra gradum naturae sensitivae substitisse dicendum est, donec per ultimam conceptionem a ceteris discernerentur, simulque corpus organicum ad figuram humanam disponeretur, et anima eius ad gradum rationalitatis (ordinaria an extraordinaria Dei operatione non definio) eveheretur. — Peccatum originale tantam vim habet, ut homines reddat in naturalibus debiles, in spiritualibus mortuos ante regenerationem, intellectu ad sensibilia, voluntate ad carnalia versis. Non autem originale peccatum corruptam generis humani massam a Dei benevolentia universali penitus alienam reddit. Nam nihilominus sic Deus dilexit mundum, licet in malo iacentem, ut filium suum unigenitum pro hominibus daret [12]).

Reliquiae divinae imaginis, ideae et libertas.

Reliquiae divinae imaginis consistunt tum in lumine innato intellectuali, scilicet in ideis incomplexis et in nascentibus inde notitiis complexis, et in libertate congenita voluntatis, ita ut homo, etsi haud dubie peccaturus sit, nunquam tamen necessario committat hunc actum peccandi, quem committit. Libertas exemta est tam a necessitate quam a coactione. Necessitatem enim non facit futuritio veritatum; licet enim futurorum contingentium sit determinata veritas, certitudo tamen obiectiva seu infallibilis determinatio veritatis, quae illis inest, minime necessitate confundenda est [13]). — Nec praescientia aut praeordinatio Dei necessitatem imponit, licet ipsa quoque sit infallibilis. Deus enim vidit res in serie possibilium ideali, quales futurae erant, et in iis hominem libere peccantem, neque huius rei seriei decernendo existentiam mutavit rei naturam, aut, quod contin-

12) Tom. I. causa Dei §. 75. 79. 81. 86. 90.
13) ibid. §. 98. 101 — 103.

gens erat, necessarium fecit [14]. — Neque etiam praedispositio rerum aut causarum series nocet libertati. Licet enim nunquam quidquam eveniat, quin eius ratio reddi possit, neque ulla detur indifferentia aequilibrii (quasi in substantia libera et extra eam omnia ad oppositum utrumque se aequaliter unquam haberent) cum potius semper sint quaedam praeparationes in causa agente concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant; dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita ut semper aliqua indifferentia sive contingentia sit salva. Nec tantus unquam in nobis affectus appetitusque est, ut ex eo actus necessario sequatur. — Coactio etiam non est in voluntariis actionibus; etsi enim externorum repraesentationes plurimum in mente nostra possunt, actio tamen nostra voluntaria semper spontanea est, ita ut principium eius sit in agente. Id quod per harmoniam inter corpus et animam, ab initio a Deo praestabilitam, luculentius quam hactenus explicatur [15]. —

Valde dubito, num haec de libertate disputatio omni ex parte sibi congruens dici possit. Leibnitius per harmoniae praestabilitae placitum hominis libertatem luculentissime demonstrari saepius affirmat [16], et si multi hominem liberum videri tantum, non esse dixerint, contra ex harmonia praestabilita hominem coactum videri, sed cum certitudine metaphysica eum liberum esse dici posse, liberum scilicet a qualibet coactione rerum externarum, quod in animum ut monadem nil extrinsecus intrare eumque afficere possit. Si vero saepius secundum principium rationis sufficientis proponit, non dari indifferentiam aequilibrii, sed in externis rebus semper rationem adesse non quidem necessitantem sed inclinantem tantum, cur ani-

14) Tom. I. causa Dei §. 104. 15) ibid. §. 105. 108.
16) Tom. II. p. 1. pg. 55.

mus ita et non aliter agat, non solum hoc principium rationis sufficientis alio sensu sumit, quam proposuerat, nempe non cogitans de causa finali vel vere sufficiente, sed in universum de quapiam causa efficiente; at etiam harmoniae praestabilitae, ex qua quaeque monas agit ac si sola esset cum Deo in mundo, contradicit. Contra dicendum ei potius erat, externam causam animum ad agendum moventem non adesse, sed videri tantum existere ob harmoniam inter omnes substantias praestabilitam. Iacobi [17]) Leibnitium in hac de libertate sententia cum Spinoza omni ex parte consentire existimat. Quod ut probet, affert locum Theod. §. 50. ubi legimus: Non possumus proprie experiri independentiam nostram, nec causas, a quibus electio nostra pendet, semper percipimus utpote saepe sensum omnem fugientes; et perinde est ac si acus magnetica versus polum converti laetaretur, putaret enim, se illuc converti independenter a quacunque alia causa, cum non perciperet motus insensibiles materiae magneticae. Hoc cum loco Iacobi comparat Spinozae Ep. 62, ubi simile exemplum de lapide affertur. At, ut intelligatur sensus Leibnitii, annotandum erat, Spinozam quidem illo loco iactatam illam hominis libertatem non adesse contendere, Leibnitium autem, loco allato contra indifferentiam aequilibrii disputantem, causam quidem liberae electionis semper adesse affirmare, hac vero nullo modo hominis libertatem tolli. Alia quidem est quaestio, num Leibnitius hominis libertatem, quam servare vult, recte demonstraverit. Iam vero quod ad hoc pertinet, Leibnitium libertatem hominis non cognovisse dicendum est. Libertas hominis recte demum cognosci potest, comprehensa relatione hominis ad Deum et mundum, et ex ratione, qua haec relatio

17) Iacobi's Werke, Leipz. 1819. B. IV. Abth. I. Ueber d. Lehre des Spinoza pg. 66.

posita est, cognitio libertatis pendet. Iam vero ad notionem liberae voluntatis pertinet, ut ei non aliud, sed ipsa sibi ipsi sit obiectum; ex Leibnitii autem sensu non dici potest: volumus velle, sed tantum volumus agere[18]). Deinde vero, quamquam homines a Deo solo libertatem acceperunt, tamen a natura non liberi sunt, sed ipsi per negationem naturae libertatem acquirere debent. Quod autem Leibnitius semper in externis rebus rationem inesse electionis nostrae contendit, his verbis hominem a natura non posse liberum fieri, affirmat. Deinde hac in re nil mutatur, si interdum harmoniam praestabilitam urget, ex qua in monadem nil forinsecus influit, nam ita passivitas monadis in absolutum terminum translata tantum est, et quamquam praescientia Dei libertati humanae non adversatur, quippe quae in Deo demum vera et concreta sit, aliter res se habet posita praestabilita harmonia. Nam ex hac Deus non solum vidit res in serie possibilium, sed ita mutuum monadum influxum sustulit, ut cuique monadi certum perceptionis gradum tribueret. Hic vero certus gradus non in monadem ipsam se ponentem, sed extra eam cadit, ideoque praedestinationem poni non potest non dici.

Praeter ideas et libertatem, quae homini innata sunt, divinae gratiae auxilium nulli homini deest, et reiicienda est Dei misanthropia, quod omnes salvos fieri vult, et prosopolepsia, tanquam scilicet electio Dei ratione careret. Pars autem rerum praestantissima, civitas Dei, spectaculum est, cuius ad pulchritudinem noscendam aliquando demum illustrati divinae gloriae lumine propius admittemur. Nunc enim solis fidei oculis, id est divinae perfectionis certissima fiducia adtingi potest: ubi quanto magis non tantum potentiam et sapientiam, sed et bonitatem supremae mentis exerceri intelligimus, eo magis incalescimus

18) Tom. I. pg. 156.

amore Dei et ad imitationem quandam divinae bonitatis iustitiaeque inflammamur [19]).

CAPUT III.

TRANSITUS IN PHILOSOPHIAM WOLFII.

Quamquam principia philosophiae Leibnitianae vere speculativa dici debent, quod id agunt, ut identitas cogitandi et essendi, quae veritas est, explicetur, tamen in monadologia ipsa quaedam nequaquam modo speculativo demonstrata inesse vidimus, ut varietatem monadum earumque ad substantiam absolutam relationem, quae ipsa identitas essendi et cogitandi, quamque qualitativam diversitatem excludens, immediata tantum est, non necessario deducta; praecipue autem in ceteris philosophiae partibus externa reflexio praevalet, inprimis quod formalia principia inducuntur, quae quomodo cum monadologiae principiis et inter se cohaereant, non ostenditur. Attamen omnia nostra ratiocinia principiis illis contradictionis et rationis sufficientis superstructa esse affirmatur. Quod vero ad formam philosophiae Leibnitii attinet, haec nullo modo systemati philosophiae conveniens dici potest, ipse autem methodum mathematicam in philosophia adhiberi probaverat. Has inprimis duas sententias, de forma scilicet mathematica et de vi principiorum cognoscendi Wolfius amplectens et tanquam principia ponens totius speculationis, integrum philosophiae systema componere conatus est. Ut vero ex Leibnitii philosophia partem quasi non philosophicam ad formanda principia desumsit, ita Leibnitii speculationes in externas vanasque reflexiones pervertit. Cum enim num monadum omnium perceptio admittenda sit, dubitet, Leibnitii fundamenta, ex quibus nil existit nisi substantiae vel monades, in qui-

19) Tom. I. causa Dei §. 110. 123. 134. 144.

bus nil datur nisi perceptiones earumque mutationes, destruit; atque prima illa et praecipua philosophiae quaestio, quomodo conveniant res cogitans et res extensa, non solum non solvitur sed plane despicitur, totaque philosophia in vanum dualismum evadit. Haec Wolfii philosophia, quam ordine et perspicuitate prae Leibnitiana antecellere eamque explanare et emendare putabant, efficiebat potissimum, ut Leibnitius, quamvis vivus ob ingenii aciem et ob maxima vastissimae eruditionis specimina omnibus admirationi esset, tamen brevi neglectus et novissimis demum temporibus et probe intellectus et iuste probatus sit. Ita quoque vanus dogmatismus post Wolfium non sine magna superbia et tumore hominum philosophicorum animos cepit et ita obduravit, ut magnorum poetarum irrisio et Kantii ingenium philosophicum ad studium magis dignum atque severum eos perducere vix potuerint.

THESES.

1. Argumentum ontologicum de existentia Dei male a Kantio refellitur.

2. Item argumentum cosmologicum.

3. Primaria philosophiae quaestio est, quomodo absolute verum non solum sit absoluta substantia, sed itidem absolutum subiectum.

4. Religionis Christianae veritas argumentis ab historia petitis probari nequit.

5. Errant, qui totam philosophiam ex una propositione tanquam principio derivare velint.

